

**Petrus Mussonius**  
**‘Pompeius Magnus’**

Tragoedia  
(1621)



Bernhard Paul  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Dezember 2013

## Personae

Pompeius	Magnus
Cornelia	Pompeii uxor
Sextus Pompeius	
Domitilla	Matrona
Deiotarus	Rex
Q. Metellus Scipio	
Domitius Aenobarbus	
L. Afranius	
T. Labienus	
Faonius	
Philippus	Libertus Pompeii
Augur	
Aruspex	
Vates	
Pullarius	
Legatus	Regis Iubae
<Centurio Pompeii>	
Exercitus Pompeii	
C. Iulius Caesar	
M. Antonius	
Cn. Domitius	
Centurio	
<Centurio Caesaris>	
Exercitus Caesaris	
Ptolemaeus	Aegypti rex
Theodorus	
Achillas	
Pothinus	
Septimius	
<Ptolemaei Pater>	
Explorator	

## Argumentum actus primi

Pompeius Magnus de bello ex animi sententia gerendo magnopere sollicitus variis somniis perturbatur atque imprimis eo, quo sibi videbatur Romae pleno foro, cum populus ludis publicis interesset, ita versari, ut in aedem Veneris summa totius plebis acclamatione atque plausu duceretur; quo in exornando bellicis spoliis templo hac cogitatione percellitur fore tempus aliquando, cum Caesar gentilitiam deam Venerem devicti a se Pompeii praeda illustrabit. adsunt Deiotarus rex et Q. Metellus Scipio, qui non commoveri oportere ducem belli eiusmodi spectris demonstrant. Labienus interim panico quodam terrore perculsa castra tumultuari nuntiat; quo cognito exercitum lustraturus discedit Pompeius. Caesar ex altera parte prodit in scaenam stipatus duobus, M. Antonio et Cn. Domitio, ad adversariorum exploranda consilia. severe et acriter exercitum increpat ob fugam, quam Dyrrachio praelio foedam cepisset. ardore pugnandi se compensaturos milites illam timiditatem pollicentur.

## Actus primus <Scena prima>

Pompeius

Pomp. Nocturna saepe spatia traducat vigil  
Princeps necesse est; cura commissi gregis  
Nos longiore perfrui somno vetat.  
Tamen opprimuntur languido interdum et gravi  
Sopore mersi principes. sed quae caput 5  
Curis gravatum relevet aut viduet quies,  
Cum varia dulcem, quem thoro fusus capis,  
Imago somnum turbet et mentem anxiam  
Obiecta reddant spectra, quae mittit sopor?  
Hac nocte tremui totus, et lectus solo 10  
Quatiente in altum tollitur vasto impetu,  
Videoque monstra, quae recenseri piget.  
Ego narro visa dubius et, quorsum polo  
Delapsa, gelido quaero percussus metu.  
Sublimis auras alitis ritu seco 15  
Medioque raptus collocor Romae foro.  
Adsunt Quirites, quos theatrales tenent  
Scenae apparatu maximo et ludi iuvant.  
Affusa circum plebs, ut aspexit, manu  
Plaudente voces iactat in coelum, sui 20  
Testes amoris, meque consociat polo.  
Stupefactus adsto. festus ut vocum assilit  
Sonus undecumque, qui foro affusus tonat!  
Cum me per ora civium patrem audio  
Patriae vocari, populus occurrit frequens, 25  
Clamore complet urbis augustae fora.  
Quod inde damnum, Magne Pompei, times?  
In durio rem tu trahas partem, tibi  
Quod populus uni laetus assurrexerit,  
Quod amet, honoret, laudet, observet, colat 30  
Patrem, salutem, vindicem, columen, ducem?  
Posthac quid ipse maius a populo impetres?  
Subsiliit actus gaudio et blando, suas  
Quem nominarat ante delicias, vocans  
Excepit ore. nunquid ostentum subest, 35  
Quo te tuosque numen e coelo petat?  
Amoris in te maius indicium queas  
Expetere quam quod plebis acclamatio

Exprompsit in te pectus indulgentius?  
 Ita sit. sed ille saepe mutatur favor 40  
 Odiique flammam velat et virus premit.  
 Hodierna facilem, crastina iratum dies  
 Tibi reddet; unum profer in medium ducem,  
 Quem non procella saeva popularis status  
 Pervertit. id me cruciat, hanc metuo facem. 45  
 Deinde quo me somnii abduxit pavor?  
 In Veneris aedem videor efferrī sacram  
 Omniaque lustrō tecta, quae variis ovans  
 Exorno praedis; spolia quae bello extuli  
 Opima, victor explico; his templum instruo. 50  
 Quid ista per me templa decorantur novis  
 Vestita signis? cur ad hoc potius labor  
 Noster petitus, Veneris ut templum sua  
 Pompeius ornet dextera, ut spolia inferat?  
 Quo me propellunt fata? quo factum meum 55  
 Portenta ducunt? mēne delectum, tuae  
 Vt gentis ipsam, Caesar, addictam deam,  
 Aliena stirpis Iuliae illustrem sacra?  
 Si quid timendum est, hic ferit pectus timor,  
 Mihi luctuosa damna ne spectrum creet, 60  
 Quod dormienti blandus obiecit sopor.  
 Ipse mihi certus augur et verax ero  
 Coniector: adsum, visa qui evolvam data.  
 Iam fata cerno nostra, non quaero Oedipum,  
 Has qui scienter solvat ambages: patent. 65  
 Praesaga mens est Caesarem eventus bonos  
 Feliciori Marte adepturum et deae  
 In templa Veneris spolia laturum mea,  
 Quae colligenda Caesari dederō fugax.

### <Scena secunda>

Pompeius, Deiotarus, Q. Metellus Scipio, <T. Labienus>

Deiot. Acuenda, princeps, agmina ad bellum monet 70  
 Praeceptis, citatus, avidus, impatiens morae  
 Caesar. nec ista milites nostros tamen  
 Praepropera terret ad trucis pugnae datum  
 Signum voluntas, vulneri et ferro obviam  
 Ibit paratus miles et forti gradu 75

- Excipiet acres impetus. votum est mori.  
 Agitata motu sed repentino fremunt  
 Composita bello castra. quo pellit fragor,  
 Excitus unde, nescit et miles petit.
- Pomp. Mihi, quem tumultum dicis exortum, novus 80  
 Non est; sed unde tantus erupit sonus  
 Fremitusque, quaero; saepe, dum fessos quies  
 Solidaret artus, contigit somnum excuti,  
 Inusitato corpus emotum quati  
 Pavore, mea quo castra trepidarunt metu. 85
- Scip. Et ista pectus forte tantillum sua  
 De sede moveant? quidquid horroris cient  
 Tenebrae profunda nocte, in infaustum et malum  
 Torquebis omen? potius exundet furor  
 Iraeque in hostes, quos gubernarit fera 90  
 Rabies inopsque mentis et stultus tumor.  
 Stet pectus ingens, ora non mutet color.
- Deiot. Ignara vinci corda non, princeps, geris?  
 Incurrat, erret, peragret in vultu nigra  
 Nubes doloris? terror exanimet ducem? 95  
 Pompeius unus horreat? coelum licet  
 Minetur, ipsa terra defensum volet.
- Pomp. Deiotare, non est pectus obsessum metu,  
 Quem temnere ausis, ira nos caeli premit  
 Sed certa, sed nos ignis attactos cadens 100  
 Petit et cremabit; hostis e caelo ruit;  
 Facibus suis nos urit, absumit deum  
 Hominumque rector Iupiter. non me putes  
 Commenta velle cudere; hoc monstrum accipe  
 Scipioque, cuius pectori arcanum inseram. 105  
 Nondum ortus alto tulerat Oceano caput  
 Radiisque montes lucis ignivomae pater  
 Diverberarat Phoebus aut stellas polo  
 Fugarat. ecce! piceus et pinguis vapor  
 Colligitur et se glomerat, hostili e globo 110  
 Emergit, ignes concipit, flammam iacit  
 Liquidosque tractus tranat ardenti face.  
 In nos cucurrit tramitem oblongum trahens,  
 Instar cometarum quique commotus salit  
 Agitante vento seque in adversos rotat. 115
- Deiot. At statue, princeps, signa, quae irato aestimas  
 Deducta coelo – pace sit dictum tua –,  
 Inanitatis plena: quod splendor micat,  
 Quod flamma fulsit, quod tremit tellus, aves  
 Quod praevolarint ante distinctas plagas 120  
 Lituo, quod ater coluber interverterit

	Iter institutum, bubo quod moestas ciet Feralis ore noenias, id te movet Angitque? nihil est, Magne Pompei, tuos Quod vertat animos teque sollicitum auferat.	125
	Firmamen unum sit tibi causae aequitas. Quae cum stet a te, quid superstitio, precor, Praestringat aciem mentis et lucem tuae? Contra minaces ire praestiterit vagae Sortis furores. pertinax virtus sua	130
Scip.	Opponat armis arma. votivo tamen Demulceamus numen aethereum sacro. Bellum gerendum est. res in extremum locum Deducta, princeps, praelio dirimi petit Contentionis odia, quae bellum fovent.	135
	Quid? extimescas? nunquid Armipotens favet? Dyrrachia felix pugna, cum pulsum, abditum Victumque longe Caesarem pepulit ferox Congressus ille; reliqua praestruitur lues Mox inferenda; nunquid obstat deum	140
Deiot.	Denuntiatus ullus augurio furor? Tibi fulminandum est; vim supernarum tibi Rerum arbitraris posse, quod ferro tenes, Obterere? quoties augurum spretos leves Constat labores, triste cum ferrent polo	145
	Vidisse signum nec sibi iratis diis Placere bellum suscipi! quod sors dedit Regitque casus, numinum id vocem canas? An apertiora – Magne Pompei, refer! – Documenta quaeras? Caesarem interdum audio	150
	Risise sacras hostias; quando litat Diis sacerdos, exta si turpes notant Intus colores, victima e manibus fugit Trepidante cursu, 'sit mihi virtus', ait, 'Generosa faustum numen, augurium ratum.	155
Pomp.	Mihi quod negarit hostia, id virtus parit.' Infracta non sunt corda, non animus mihi Solutus, etsi numinum strarint minae. Sed audiendus miles, atque ardor meis Novus ingerendus.	
Lab.	verte, quem firmas gradum, Iterumque, quo sint castra, speculeris loco. Pavor impotenter disiicit, ferrum undique, Quod fors ministrat, mente confusa rapit – Ingruere bellum diceres, rupto aggere Motare castra Caesarem insano excitum	160     165

Amore Martis – totus atque armis furit  
 Furor iuventae. properus hinc effer gradum.  
 Pomp. Labiene, quid me conscius tanti moves  
 Pavoris? is me non ducem latuit pavor.  
 Scio, quo trahamur: numinum infestus polus 170  
 Multo ante tristes loquitur et signat notas.  
 Superandus autem terror et forti tremor  
 Animo domandus. ite! moderantem audiant  
 Equitum phalanges et graves peditum manus.

### <Scena tertia>

Caesar, M. Antonius, Cn. Domitius

Caes. Res agitur, o dii, magna! distracti duo 175  
 Vtrinque quatiunt pondus imperii duces.  
 Ego mente tristi verso, quae diro obruta  
 Et luctuoso gentium victrix feret  
 Dominaque bello Roma: terrifici prement  
 Romam fragores, sanguinis rivi alluent. 180  
 Quid istud est, quod esse quassatam volunt  
 Dii praepotentes patriam, quod nos furor,  
 Ambitio, pestis tetra regnorum occupat  
 Torretque, inustos urit ardenti face?  
 Ego me meorum civium coede oblinam 185  
 Iugulemque, quotquot Marte restiterint fero,  
 Communionem iuris obstrictos pari,  
 Vt ipsa per me Roma adaequetur solo,  
 Pulsabat apice quae superbifico polum?  
 Hoc execrandum facinus, hoc tetrum nefas 190  
 Abominare, Caesar, hoc omen fuge,  
 Depone ferrum, tela, quae dextram gravant,  
 Confringe! pectus aeneo septum ocyus  
 Thorace nuda, vindica Romam metu!  
 Coecumne stringas in tuos gladium? tuo 195  
 Tot innocentes ense confodias? vide,  
 Quo te ira pellat! quod tenes, ferrum excute!  
 Egon' ut recondam tela nec terra et mari,  
 Qui nomen aequae pacis oderunt, sequar,  
 Ego sim tumultus auctor aut accenderim, 200  
 Quae suscitantur Marte bellorum faces?  
 Cur efferatum, Magne Pompei, furit



Vtriusque pectus? cur inardescunt genae  
 Tetro furore, vultus incensus rubet?  
 Ponatur odium; frange, quos motus citas. 205  
 Firmemus ambo foedus et pacem ultimam:  
 Qui principatus quique sublimis gradus  
 Tanto petitus ambitu fuerat, nihil  
 Animum ulcerabit. testor aeternam Styga.  
 Vterque sese in urbe privatum gerat 210  
 Ritusque servet patrios belli immemor.  
 Sed quid frequentes mitto legatos, prece  
 Qui te fatigent quique te placent? meae  
 Legationis verba, quae pacem offerunt,  
 Et postulata respuis nimium ferox, 215  
 A te superba quae reportarunt mei  
 Responsa? quae te principem vallat cohors,  
 Iuvenilis aetas, nunquid insanissima  
 Me non ferendis lacerat immeritum probris?  
 Sed me scelestum meque praecipitem vocet, 220  
 Non tuear ipsum, quod mihi raptum est, decus?  
**Dom.** O terror ingens hostium, o columen rei,  
 Caesar, labantis publicae, o firmissimum,  
 Quod restat et quod laudo, propugnaculum,  
 Totas opes effunde, quas adveximus! 225  
 Removendus hostis, cuius obiectae rates  
 Clausere maria, quique, quos ferro nequit,  
 Secessione, fraude, contectis dolis  
 Circumvenire tergiversando parat.  
 Sed nunquid haeres, Caesar? attonitus iaces 230  
 Invictus olim? tune, quem populi pavent,  
 Quem Mars ad arma proiicit, metuas tibi?  
 Indigna fuerint dubia consilia et vagum  
 Variumque pectus; perge, quo causam vides  
 Magno approbantum numinum assensu trahi! 235  
 Metuenda prae te castra quin, Caesar, moves?  
 Procrastinesne capere, quem dedunt dii?  
 Pavefactus hostis cedit et latebras novas  
 Sensim aucupatur. sequere, det poenas, ferat;  
 Congredere, Caesar, nostra condiscat pati 240  
 Imperia et ausus mente conceptos truci  
 Attenuet. illi spiritus tumidos dedit,  
 Quae te represso pugna successit prior.  
**Caes.** Nullane mecum pace coniungi velit 245  
 Pompeius? a me dulce responsum tulit;  
 Contra ille durum semper insolita appetens  
 Remisit. armis arma, violentum impetum  
 Violentiore cogit inhibere impetu.

	Te, patria, testor, cuius armatae manus Pridem nefando dividunt ferro sinum	250
	Fodiuntque pectus: crimen alienum innocens Sustineo. si me noxa vel turpat levis Contaminatum, si recusantem audies Exuere rigido, qui fodit, gladio latus, Natura in unum Caesarem promat novae	255
<b>Ant.</b>	Immanitatis signa, quam durus probet Scytha, nec sepulchro mollius strato cubent Vnquam ossa, nulla mortuum tellus tegat. Indomite Caesar, pelle, quos animo metus Generosiore volvis! et quisquam nefas Putet esse meritum posse fulciri decus	260
	Aut arma contra stringere in turpem luem Tot proditorum, quos tuae infestum tenet Virtutis odium, livor invidiae exedit? Inhorruī concussus opprobriis patrum,	265
	Cum me frequentum turba despectat minax Hostemque patriae censet atrocissimum. Vix evolavi salvus, erupi excitus Circumfremēte curia, extremum mihi Fatum minaces ore truculento ingerunt	270
<b>Caes.</b>	Pretiumque certum coedis obiiciunt patres. Quid iusta differs bella, quem perdent morae? Quid me lacessis? mens inhorrescit malis, Quae lacera per nos patria, quae quondam potens Florensque Roma perferet. quam me piget	275
	Atrox, cruentum, tale, quod nunquam Annibal Inferre damnum potuit, id per me invehī! Male fausta Roma! summus imperii dies Nutantis ortus. pro! gubernaculum rapax	280
	Turbo revulsit; malus, antennae gemunt Surgente in altum turbidi fluctu sali. Cerno periculum, quo fretum in praeceps ratem Sorbet dehiscens; quamque violentus rotat Aestus et ab imo revomit eiectam mari.	285
<b>Ant.</b>	Nos, nos scelestos sera posteritas vocet, Quos aura levior laudis et vanus tumor Replet arrogantes, gloriae incensus furor Dementat et te meque in incertum trahit. Vter impotentes spiritus aequo magis Efferre visus? tune, quem absentem prius Renuntiari consulem decuit neque	290
	Post tot triumphos postque tot victorias Potuisse meritos assequi titulos patet, An, qui supra omnes iure despecto patres	

- Sibi principatum poscat, imminuat tuas  
More insolenti copias fastu improbus? 295
- Caes.** Legione gemina fraude me vafra exuit;  
Haec una me fraus perculit, proceres; tamen  
Invitus arma capio; si pacem offero,  
Fraus undecumque lecta me insontem obruit. 300
- Dom.** Quid pace toties hostis oblata impudens  
Rogatur, ut se foedere adstrictum pio  
Sinat obligari? reicit, immensum furit.
- Caes.** Non me voluntas hostis atque animus fugit,  
Sed maior alius Caesarem infringit dolor, 305  
Vtrinque quod, cum Marte commisso duae  
Furenter acies dimicant, foedo exitu  
Tetigere mento turpiter strati solum  
Commilitones, quando Pompeius prope  
Confecit et delevit. o quantus pudor! 310  
Hanc lentitudo militum stragem dedit.  
Torpor ruinam peperit. idcirco tuba  
Ignavus huc se miles accitus ferat.  
Quid moliatur hostis aut quonam impotens  
Consilia vertat, quaerite et, fidi duces, 315  
Spectate, dum me castra lustrantem videt  
Et increpantem miles arrectus timet.

### <Scena quarta>

Caesar e tumulo

- Caes.** Huc, huc, inertes! quanta vos labes notat,  
Quam nulla Tethis eluat! non hoc nefas 320  
Longinquus unquam radat e fastis dies.  
Nam cur pudendo turpiter fracti metu  
Hostem horruistis nec repressistis gradum?  
Vos propter a me praepes hinc Victoria  
Cessit, meorum quae triumphorum comes  
Iurata fuerat. cur retorsistis pedes? 325  
Cur timida frons est? cur per exangues genas  
Index solutae mentis, attoniti et vagi  
Cordis pererrat pallor, intermortui  
Martis resedit vividus quondam vigor?  
Duce me pavescat fortis in bello cohors 330  
Aut arma ponat languido imbellis metu,

Cum saevit in nos hostis et ferrum obiicit?  
 Non dura, miles, verba, non vocem asperam  
 Iurgiaque metuas plena, quae mentem exedant,  
 Acerbitatis? pudeat hanc turpem manum 335  
 Raptare tecum, Caesar! haec praedae imminet  
 Tantum; periculo mortis ante oculos tremit  
 Posito, recessus trepida tenebrarum petit.

### <Scena quinta>

Caesar, Centurio, Milites

Cent. Magnanime ductor, dedecus quantum imprimis,  
 Quasi te per ipsa tela nolimus sequi 340  
 Ensesque nudos! quando congressus datus  
 Aut arma contra stricta sunt, dic te impie  
 Ab hoc maniplo proditum! dic te neci  
 Adiudicatum nosque praecipiti fuga  
 Torsisse foede terga nec vasto aggere 345  
 Crebraque turre corpus aut vitam tuos  
 Servasse! cernis ora bellantum et gradus.

Caes. Ecquid scelestas gutture infami erutas  
 Voces retexam? non protervorum minax  
 Audita vox haec? 'siccine abreptos domo 350  
 Nos in remotas convehat gentes, fame  
 Conficiat atra Caesar et perdat siti  
 Frigoreque miseros mactet immodico senes?  
 Me non ferendo militem exhaustum gelu  
 Absumat? hoc, hoc corpus enectum ensibus 355  
 Et per tot annos pondus armorum gravet,  
 Oneret sinistram clypeus, horrentes caput  
 Galeae recurvum per tot autumnos terant,  
 Hoc te magistro Caesare intolerabili  
 Vt perferamus, nulla te intractabilem 360  
 Durumque pietas molliat, fusus cruor  
 Saginet? ecce, mille vulneribus datis  
 Acies retusa est ensium! quo te furor  
 Aestusque laudis, gloriae instigant faces?  
 Miserere nostri post tot infestas nivis 365  
 Gelidae pruinas! petimus optatam dari  
 Fessis quietem.' nonne vos usos patet  
 Sermone tali? nonne vos vultu fero

- Quondam minati fata? quo corpus refers  
 Aut ora vertis? dextra quem nudum tibi  
 Protendit, ensem mente non timida cape! 370  
 Accede, miles, corripe oblatum citus  
 Ferrum! reclude pectus hoc, iugulum effode  
 Laterique nudum fige, quem gladium obtuli!  
 Arcere nulla Caesarem virtus potest 375  
 Opposita; sortis ipse praevortam dolos.
- Cent. Nos te sequemur; recipe nos comites simul  
 Vitae et pericli; vindicem exaudi manum  
 Commilitonum, qui suum scelus arguunt  
 Tuaque causa salsa traicient freta 380  
 Terrasque longe dissitas cursu avio  
 Peragrarare poscunt. iusta suppliciaingere.  
 Tolerare mens est prompta: si decimatio,  
 Quae militaris poena malefactoris solet  
 Saepe irrogari, perplacet, decimum amputa. 385  
 Quid nos repellis? crimen aut insaniam,  
 Quocumque libeat, plecte cruciatu et nece.  
 Cur torva mutas ora? quid pedibus tuis  
 Sic implicatos spernis et dirum obstrepis?
- Caes. Non iustus animos agitet iratos furor? 390  
 Ego non habenas iure laxarim, ferum  
 Quae concitaret pectus, iracundiae?  
 Non saliat oculis ignis, intentem cruces?  
 Cur considetis? cur anhelantem audio  
 Gressum moveri? cur procellosi maris 395  
 Vos fluctuantis instar aut nubis vagae,  
 Quam dissipatam rapidus hinc, illinc agit  
 Versatque ventus, mente discordi modo  
 Amore duri Martis ardetis, modo  
 Horretis ipsa fata, quae bellum obtulit? 400  
 Non imperante Caesare es dignus, late  
 Et abi! trementem militem exequiae, rogas  
 Et inseputa corporum exterret strues.  
 Non haec ad usus bellicos nata est cohors.
- Cent. Nos moesta sceleris ora testantur reos. 405  
 Gravent catenae corpus, et tetro specu  
 Dura revinctum compede absumat fames.  
 Mors lenta sensim spiritum ignavum extrahat.  
 Veniamne nullam militi, Caesar, dabis?
- Caes. Qui me scelesti prodidisti? quem timor 410  
 Abiicere suasit poene, quod ferrum geris?  
 Quin ipse torvus, ore furibundo loquens,  
 Qua graderer, ipsos non sequuturum gradus,  
 Miles, negasti; verba iam desunt mihi,

Quibus execrandos atque detestabiles 415  
Averser atrae vosque devoveam Stygi.

Admitto si te rursus ad partes meas  
Castrisque iungo, laetus excipies ducis  
Imperia, miles, dumque per gladios ferar,  
Sequere?

Cent.                      promptus te sequar.

Caes.    quid si mori 420

Contingat, una pariter ad mortem rues?

Cent. Moriemur omnes.

Caes.    ast in infestas furor  
Si vos catervas missus armarit, pedem  
Retro feretis

Cent.    si deerrantes fuga  
Quacumque pavidos spargat, addictos neca. 425

Caes. Cupido belli crescat, inflammet decus  
Vos militare. dum datur tempus, nova  
Dum spes futuri praelii extemplo appetit,  
Implete mentes robore expenso, manu  
Tergete ferrum! lucis optatae iubar 430  
Affulsit, et sol clarius coelo facem  
Sereniore proferens tenebras fugat.

## Argumentum actus secundi

Domitius Aenobarbus insolentia verborum usus Pompeium absentem regem regum et Agamemnonem per contumeliam vocat; cunctatione solita prorogari ab eo tempus imperii, quo instructus maiorem quotidie auctoritatem obtineat in republica; nec desunt Luc. Afranius et Faonius quidam, qui intemperantia vocum Pompeium lacerant. Pompeius adiunctis sibi sociis Deiotaro rege et Q. Scipione socero castra repetit; occurrit Aenobarbus, qui verbis atrociter prolatis ad pugnam cum Caesare committendam audacius incitat. Pompeius tandem, cum ferre militum voces non posset, monet, uti se ad praelium comparent. quo digresso ingreditur Caesar cum suis, qui certior factus de summa voluntate Pompeianorum oratione vehementi exercitum ad confligendum cum hoste adhortatur. Pompeius item suos ad propulsandos acri conflictu Caesarianos accendit; Pompeius funditur fugaturque praemissa ante certamen brevi altercatione inter centurionem Caesaris et centurionem Pompeii.

## Actus secundus <Scena prima>

Domitius Aenobarbus, Lucius Afranius, Milites, Faonius

- Aen. Quousque tandem noster Agamemnon sua  
Nos fraudulentus arte deludet? vafri  
Non evolutos, miles, agnoscis dolos? 435  
In tempus ille nonne longinquum trahit  
Seritque bella, gaudet aerumnas pati  
Nos belluarum more, per terras vehit,  
Sudore nostro pascitur, largum ebibit  
Tumidus cruorem, regiam in sellam viam 440  
Affectat? istos, quos facit ludos, feras?  
An expetistis huius arbitrio regi  
Libidinisque iura Pompeii exequi?  
Gravitate solitus castra quo lubeat loco  
Movere, cuius tarditas hosti lucro est. 445  
Non huius animus nomen aeternum sibi  
Procrastinando velle proferre imperi?  
Non inde fluxit devii erroris, fugae,  
Dilationis turpe consilium et mora,  
Erit audiendus nutus in longos iugum 450  
Parantis annos, erit inaccessus locus  
Penetrandus, et qua Phoebus Oceano comam  
Lavet et ab ortu celerat efflantes equos  
Vivacis ignis vortices quaque arduo  
Exurit axe terga telluris face? 455
- Afr. Me vendidisse Cneius Hesperiam ferat  
Et tradidisse Caesari emptori? audiat:  
Si Caesar emptor lectus, Hesperiam dedi  
Si victus auro meque mercator suis  
Infregit opibus, cur retardanti gradu 460  
Ad arma contra pergat et retro pedem  
Referens sequentem Caesarem emptorem fugit?  
Quod si piget pugnare, si casus graves  
Ancipitis horret Martis, infamem exitum  
Et luctuosas civium strages timet, 465  
Cur pacis almae pignus aversans datum  
Disturbat aut cur proximos Latii vetat  
Obire fines, Caesare instante avolat?  
Quis tantus iste, qui nocet dudum, stupor  
Nos obstinatos vinxit et strinxit? ducum 470



	Consumpta vis est tota? destituit vigor Nos militaris? cur ad assultus truces Non commovemur Caesaris? si nos amor Stimularet unus patriae atque odium malae Nos servitutis caperet, artificem improbum	475
Faon.	Ferremus aequis principes animis? quies Nos lenta perdat? non retundendae minae, Quas insequendo Caesar insultans iacit? Prohibere quis me, vera ne dicam, potest? Praecisa spes est posse nos unquam ficus, Quas molle coelum Thusculi hoc anno ferat, Comesse. nobis reditus obstruitur; bonum Invidit unum hoc dira Pompeii sitis, Cuius per orbem praeda raptamur. fides Vt huius animo vivat, hoc quisquam putet?	480
	Non iste belli rector ac pugnae arbiter Opprimere tentat, quo lubet famulos rapit? Placet huic oriri bella de bellis nova, Ne liberata Roma privatum vocet.	485
Aen.	Quem non furore repleat insano timor Vel potius odio dignus infando tumor, Quem per tot oras perque tot populos sumus Experti? an in nos, Magne Pompei, exprimis Veterator astus? utere ingenio tuo: Cur omnium fit culpa Pompeii metus? In ambiendis gloriae titulis furit. Aliud veretur pectus elatum nihil Quam ne reponat arma, ne strictos diu Iubeatur enses condere et pacem dare. Aeterna vovit bella, quae cautus fovet.	490 495 500

### <Scena secunda>

Pompeius, Domitius Aenobarbus, Deiotarus, L. Afranius,  
Q. Metellus Scipio, T. Labienus, Faonius

Pomp.	Properantis ad nos video furibundi gradum, Cui vultus igne sparsus, ardentem micant Oculi. quid ille tacitus et torvum tuens, Insanienti similis occurrit freto? Cur, magne ductor, igneum vultum geris? Quo tendis? ecquo te tui rapiunt pedes?	505
-------	---	-----

- Aen. Nil te diu celabo, Pompei: tuo  
 Torpore fessus obstrepit miles, petit  
 Sibi constitutum praelii indici diem;  
 Violentus, acer, turbidus, vehemens, ferox 510  
 Nequit opperiri Caesarem, qui se incitat  
 Ridetque nostras ore vesano fugas.
- Pomp. Coecos cupido Martis incerti occupat  
 Animosque vestros fascinat. coelum tibi  
 Non dulce? vita non tibi, miles, placet? 515  
 Non quod labanti patriae immineat malum,  
 Quam dira strages, cernis? ut campi natant  
 Cruore sparso civium! Domiti, preme  
 Iniuriosa verba, quae per te cohors  
 In me refundit! nunquid excidimus tibi? 520  
 Quod crimen in me Roma perfidiae aut nefas  
 Deprendit unquam? si quod est factum scelus,  
 In me cohortes undique armatae ruant.
- Deiot. O summe princeps, cum datur bellantium  
 Vivificus hodie, quos vides, ardor, tuis 525  
 Incende verbis! properat et nudis fremit  
 Armis iuventus, quae refrenari nequit.  
 Illam antecede! sequitur et bellum appetit.
- Pomp. Inertis ergo non vaco culpa ducis,  
 Et ore rabido poscitur bello dies. 530  
 Sit destinata praelio infausto dies.  
 Proinde rapite, quidquid armorum potest  
 Animare Martem! robur invictum antea  
 Promatur; ardor pectora accendat vetus.
- Scip. Magnanime ductor, cerno, quam pubes parum 535  
 Prudenter ipsas expetat pugnas, tuum  
 Quae stulta ductum corde vesano oderit;  
 Tamen ille vivax, quem truci vultu gerit,  
 Vigor arma poscens, perplacet. sors hactenus  
 Tua coepta fovit laeta successu optimo. 540
- Aen. Gestit iuventus quater, quod ferrum eruit.  
 Inferre dubites impetu elato gradum?
- Afr. Tibi provocandus Caesar est; non te morae  
 Quicquam morentur; aspice, ut propius nihil  
 Factum relicto quam sui imperio ducis 545  
 Irruere in hostes cogitent et quam ferox  
 Non ante visus impetus cunctos agat.  
 Submissa non hi colla nec fractos gerunt  
 Animos; triumphos mente securi coquunt.
- Pomp. Ergo agite! totos ima, quos nervos gerunt, 550  
 Fera corda tendant, quando vos pugnae impetus,  
 Amor incitavit tempore infesto et necem

Vobis pudendam Caesar invictus parat.  
 Proposita certae nulla delectet fugae  
 Spes imparatos. arte, virtute et dolo 555  
 Superandus; haec sunt arma, quae victor movet,  
 Quibus et caremus. ruite! periturus ruam.

### <Scena tertia>

Caesar, M. Antonius, Cn. Domitius

Caes. Toties sequamur castra fugientum neque  
 Praedam assequamur? more venantum, pedem  
 Quacumque timidus fixerit cervus, gradum 560  
 Vertamus illo? nec plagis sese induat,  
 Sed evolet, sed rete perrumpat fera?  
 Cur tam feroces ore, tam ferro et manu  
 Torpemus? ante patris Oceani cadens  
 Quam Phoebus undis abdat et mergat caput, 565  
 Obeunda tibi mors, Caesar, aut hosti tuo.  
 Ego, Galliarum victor, indomitae prius  
 Et bellicosae gentis oppressor, retro  
 Graderer? tot urbes, tot feras gentes iugo  
 Subieci, et una mollis, imbellis manus 570  
 Iuvenum nec armis nata tractandis cohors  
 Hinc me propellat, cuius Assyrio nitet  
 Odore crinis, fusa per collum coma  
 Radiante gemma splendet atque auro micat?  
 Nos delicata corpora, infames opum 575  
 Luxus, nitentes vestium cultus doment?  
 Audita vobis verba, quae iactant, iocos  
 Petulantiores, ore quos foedo vomunt?  
 Quos non honorum vindicant titulos sibi?  
 Sibi non furenter nomen adsciscunt palam 580  
 Pontificis et se non magistratus putant  
 Omnes adeptos esse? non nostro inserunt  
 Parata collo vincla et obscuros specus  
 Interminantur? pectoris quantus stupor  
 Possessiones ante partiri meas 585  
 Praediaque, quam se Marte felici adstruant  
 Videantque facta strage victores mei!

Ant. Invicte Caesar, quam potes, celeri gradu  
 Disiecta iunge castra et avulsas iube

	Redintegrari copias! quanto impetu Rapiatur acies hostium adversum furens, Speculator oculis, aure sollicita hauriens Retulit. fluentes currere in campum globos Viden' cohortes, Caesar, armentur, iube.	590
Caes.	Id opto, Marce. stimulus hic mentem fodit Pungitque vivas addere ad bellum faces. Iam strictus ensis luceat, dirimat ferox Conflictus ortos pace violata duos Inter tumultus, evocet clangor tubae Lituique stridor militum instructas manus.	595     600

### <Scena quarta>

<Caesar,> Centurio Caesaris, Centurio Pompei

C. C.	Placet, imperator, castra circundem vigil Obeamque vallo septa, quo tandem ultima Spectet voluntas hostis, explorem?	
Caes.	licet. Age, perge! iacta est alea, ad bellum feror.	
C. C.	Huc extrahendus hostis, ut mecum serat Colloquia. prodit commode, optato emicat. Vnde iste tantus ardor ignavos tenet?	605
C. P.	Vnde iste vester torpor in castris furit?	
C. C.	Quod pugna vobis una processit, furor Augescit ergo vester atque animos capit?	610
C. P.	At vos retundet ipsa victores levis Fortuna; vos haec ludit et victos quatit.	
C. C.	Fortuna victos acuit et merita excitat Mercede; noster praemium expectat cruor.	
C. P.	Quid? pauciores militum armatae manus Numerosiores copias bello appetent?	615
C. C.	Tu metiare robur intrepidum e globo, Qui densus armis horridis campos tegat?	
C. P.	Vtrunque nobis nonne largitur polus? Nos ipsa virtus militum et numerus iuvat.	620
C. C.	Quid? fortiorum nomen imbelles ferent?	
C. P.	Age, perge! timidos nos et imbelles voces, Tamen antecedet fortis imbelles leo Cervosque felix Marte Pompeius reget. Ductore tali nulla nos pestis manet.	625

- C. C. Quis conferatur Caesari? solem putes  
Non posse lumen spargere in terras, nisi  
Vaga partiatur luna Titani iubar?
- C. P. Multo ante saeva bella Pompeius gerens  
Dominante Sulla bellicas rexit manus, 630  
Quam vester arma Caesar aptaret manu.
- C. C. Pluresne nudo copias ferro arcuit  
Pompeius, urbes cepit, evertit solo  
Quam, qui subactos Caesar edomuit manu  
Celtas superbos viribus, bello truces? 635
- C. P. Superare facile non repugnantes fuit.
- C. C. Quid? incruento Marte Francigenas domat  
Furibundus ausu Caesar et genti suae  
Submittit acri praelio indomitos prius?
- C. P. Rerum potitus, fateor; at belli dolis 640  
Sibi laurearum maximam partem arrogat.  
An, miles, ausit dicere armorum impetu  
Deiecta semper castra, non ficta fide  
Tot foederatos, quos sibi adiunxit, datos  
In servitatem? nonne, quos ferro antea 645  
Servarat, illos clade funesta obterit?
- C. C. Non sanctiori pacta servantur fide  
Percussa, quam quae Caesar infringi vetat.  
Sed vos triumpho vulnerant parti, enecant  
Tot laureati Caesaris fascēs novi. 650  
Vos Caesar unos peste communi obruet.
- C. P. Communis at si pestis, hac Caesar cadet.
- C. C. Si primus aderis, primus exitium feres.
- C. P. Prospicio, quantus pedibus assiliat tremor.
- C. C. Adversa vobis ora converso prius 655  
Feriemus ense. vulnus hoc comptos manet.
- C. P. Fodietis ora, tantus ut noceat stupor,  
Simul ac ferocem militem accensum tubae  
Sonor incitarit, buccinae impulerit fragor?

### <Scena quinta>

Cn. Domitius, T. Labienus

- Dom. Quae verba confers? timide, quid rerum loquax 660  
Agitas? quid? uni corpus et vitam omnium  
Credidimus. at tu segnis excubias agas

- Fundasque voces? recipe te in castra et sile!  
 Labienus – ecce! – trudit et coram eiicit  
 Prae se frementem militem optantem emori. 665
- Lab. Quis laetiores vidit in castris manus  
 Commilitonum? spolia partiti auferunt.  
 Inimica trudent more captivi gregis  
 Et castra et omnem colligunt praedam hostium.
- Dom. Labiene, quae mens ista? pugnandi moram 670  
 Protrahitis ergo? noster in campo volat  
 Equitatus omnis, Caesaris nutum ducis  
 Explorat ardens, bellicas audis tubas?
- Lab. Explicuit ordo militum Martem tonat.  
 Pompeius illo, quo vocant sortes deum, 675  
 Procurrit. aequa causa, quam superi approbant,  
 Maiore pectus igne flammavit.
- Dom. tamen  
 Scelerata non est causa, quam iustam suo  
 Tuetur ense Caesar: ereptos sibi  
 Belli tumultu non magistratus petat 680  
 Animoque saevos promat assultus? ruit,  
 Ruit – ecce! – Caesar, cogit et stimulat suos.

### <Scena sexta>

#### Caesar cum copiis

- Caes. Concursatis et ad mortem, si funera sese  
 Dura vehunt, ruitis, seu per tot aperta furentis  
 Ire pericla iuvat Martis sperataque dudum 685  
 Victricis palmae monumenta referre. memento  
 Quisque tuae, miles, virtutis et auspice certus  
 Caesare bella sequi. per tela minantia telis  
 Irrue protritrosque super da victor acervos.  
 Exultem, pulsosque hostes trepidatio turbet. 690
- Iam licet unanimes pectusque animasque manusque  
 Devoveamus et intento mucrone feramur  
 In faciem et vultus, in mollia colla; nitorem,  
 Quem formae quaerunt hostes, altissima frontis  
 Vulnura deturpent; illos fuga foeda fugaces 695  
 Volvat, et occisos absumat cominus ensis.  
 Tu, Domiti, medius solito munimine rapta  
 Laetus utrumque latus; laevum fortissimus heros

Tutandum sumat sibi fido pectore cornu  
 Marcus et insolita virtute minantibus obstet. 700  
 Pars mea quae fuerit, petitis? me castra tuentem  
 Et defensantem iusto conamine dextrum  
 Aspicient cornu. conferta per agmina ferte,  
 Ferte animos contra. fulsit spes una salutis:  
 Libertatis adhuc tenuis si fortia sensus 705  
 Corda ferit, penetrare acies, quassate phalangas;  
 Claustra obiecta manus ferro convellat adempta  
 Omnia iampridem; tantum discrimina mille  
 Ignavos vos mille manent. ruite, ite frementes  
 In certamen et in praeceuntia signa sequaces 710  
 Contorquete oculos; iam motus in aere, vasto  
 Sibilat ore draco, iam signa revulsa cohortes  
 Accendant, lituique fragor circumsonat aures.

### <Scena septima>

Pompeius, Q. Metellus Scipio, Exercitus

Scip. Instructa, Pompei, parte ab adversa ruunt  
 In nos furenter castra. condictum diem 715  
 Pugnae favente numinum vultu cape.  
 Compositus adstat Caesar et turmas obit,  
 Crepitante circum volitat armorum sono.

### <Scena octava>

Pompeius ad suos

Pomp. O funesta mihi vel formidanda superbo  
 Vna dies hosti: Lethaei fluminis undam 720  
 Potet ut alter, agunt in praelia iniqua feroces  
 Eumenides stimulantque animos et pectora vellunt.  
 Cernitis obnixos contra? pavor, horror abactus  
 Sit procul, oblatam grato pro munere divum  
 Incensis animis – mora nulla! – capessite pugnam. 725  
 Ergo alacer ruat erectis exercitus armis.

Libertatis honos agitur, vilissima saevis  
 Hostibus est, quam nos spiramus, vita; pericla  
 Certa parant, nullo sed discordante cruentae  
 Mortis et exitii tempus nunc damna veterno 730  
 Posthabito reparare. precor, rapite arma morasque  
 Frangite castrorum. volucres plausere secundae,  
 Consultusque extis pecudum deus omnis adurget  
 Instigatque; cadant sontes, quos causa nefandos  
 Deterior iuvat; hi vivant, quos sanctor ornat 735  
 Conditio belli et veterum custodia legum.

Sed quid opus satis impulsos accendere dictis  
 Aut agitare minis pro libertate gerentes  
 Bella? quid, o socii, tardatis et aggere rupto  
 Differtis, cum Roma vocet perrumpere vallum? 740  
 Stet cuneo defixa acies; vos ora parentum  
 Absentum inflamment, vos lamentantis imago  
 Certantes patriae, vos Itala terra propellat,  
 Vos lacrymae matrum, vos illaetabile murmur  
 Coniugis optatae, vos pignora cara nepotum 745  
 Sollicitent, quos a complexibus alta remotos  
 Aequora divellunt totque interiecta locorum  
 Abducunt spatia extremis vos longius oris  
 Distractos. tantus cives dolor obruit omnes.  
 Hic vitam aut potius mecum sperate sepulchrum 750  
 Quam quisquam arbitrio vitam trahat hostis amari  
 Suspensam aut duris det colla oneranda catenis.  
 Nutantes conferte gradus, tuba rauca sonoro  
 Torpentes cantu lituusque exsuscitet; ite,  
 Ite citi; ferrum pro libertate rotandum. 755

*Pugna committitur Caesare victore, Pompeius fugit.*

Etiamne penetrant castra, nec fusas sat est  
 Delere ferro copias? victus fuge,  
 Miserande Pompei. nullus es. victus fuge.



## Argumentum actus tertii

Cornelia nonnihil prospero Dyrrachii praelii successu recreata sperabat se Pharsalica pugna commissa visuram Pompeii triumphum. verum de spe deiecta Philippo Pompeii liberto nuntio interveniente lacrymis sese conficit, Domitilla matrona honestissima bono animo eam esse iubet. dum haec geruntur, Pompeius in conspectum se dat. mox deinde Cornelia uxor accessit; quo in mutuo sermone gemitus foeminae exaudiuntur. Pompeii item generosus in tali casu animus cernitur. uxore dimissa Sextus filius prodit; cum eo verba facit pater de amanda patria deque omni genere virtutum, quibus eum excultum et ornatum cupit. discedit Sextus. principes succedunt, Deiotarus et Q. Scipio, Labienus aliique, quorum animos nonnihil deiectos erigit et confirmat. ita fit, ut legatus a rege Iuba missus numerosas copias polliceatur; quo auxilio fretus in eam spem venit Pompeius, ut, cum a Ptolemaeo Aegypti rege liberaliter exceptus fuerit, de renovandis copiis cogitet, quanquam Deiotarus ad extremum praesentire se dicat funestum totius negotii exitum, in quam sententiam discedit Q. Metellus Scipio.

**Actus tertius**  
**<Scena prima>**

Cornelia, Domitilla

<Corn.>	Iam Sol coruscantem vibrat e caelo facem Nitidumque promittit nube depulsa iubar.	760
	Pallente rursus lucet incertus die Titan per auras, quando iucundum poli Lumen procellae densus obduxit nigror. Has patitur ipsa vita mortalis vices.	
	Nunc te secundis rebus inflatam vides	765
	Amplis gerentem spiritus, cum te nihil Violenter actus turbo fortunae petat. Modo contrahentem spiritus laetos premit Infida te sors, quando te stratam obterit.	
	Me laetiores nuntii pavidam diu	770
	Ante recrearunt, quando Dyrrachius furor Effudit hostis Caesaris fortes manus Domuitque ferro barbaros; tantum boni Albo notandus calculo apportat dies.	
	Quid spem triumphi ludat aut victoriam	775
	Evertat? an non literae faustum exitum Fore nuntiabant? pulsus est hostis, sua Adactus intra castra, Pompeii timet Felicitem. quis subito mentem timor?	
	Sed varia frons est sortis et risus levis	780
	Favorque fluxus. metuo, cum ridet mihi.	
Domit.	Fortuna non est ipsa metuenda impotens; Quamquam quis illam regna moderari et feris Praeesse bellis censeat, coecam et levem?	
	Est unus orbis arbiter, quem nos Iovem	785
	Coelo tonantem dicimus; cuius cadunt Et stant potenti numine in terris ducum Regumque sceptrum, regna, maiestas, decus. Pompeius autem nonne funestum iugum, Quo nos Quirites liberos duro parat	790
	Obruere Caesar, repulit et sanctas patrum Leges reduxit? isne, quem cuncti oderint Vt instituta patria temerantem et sacros Ritus novantem, quique collatis petit Furiosus armis regna, defendi potest?	795

Quare futurum spero te numen deum  
 Soletur et nos gravia perpessas mala  
 Tandem reportet urbis in carae locum  
 Italosque fines reddat optato deus.

### <Scena secunda>

Philippus, Cornelia, Domitilla

- <Phil.> Quis me per auras ventus abreptum auferet 800  
 Miserumque turbo in devias terrae plagas  
 Aget aut profundo merget abductum salo?  
 Non concitabis, Auster, imbriferas polo  
 Nigrante nubes? non furens, Aquilo, exeres  
 Vires superbas meque trans pontum avehes? 805  
 Quae prima fundam verba? quas voces modo  
 Interrogatus ore luctifico ciens  
 Reddam? sed – ecce! – proruit! quid? me, dii,  
 Funestiozem nuntium Corneliae  
 Ferre! o sereni maximum coeli decus, 810  
 Coecis tenebris abde flammigerum caput.
- Corn. Quid te retorques? quo refers dubios gradus,  
 Philippe? cuius vultus horroris notas  
 Praefert? quid iste spiritus creber sonat?
- Phil. Pompeius – heu me! – fusus aversa fuga 815  
 Ignota lustrat maria.
- Corn. quae clades meae  
 Par esse cladi, quae meos casus graves  
 Aequare poterunt damna? Pompeius fuga  
 Elapsus? hostis sequitur a tergo imminens?
- Phil. Memoranda clades magna, sed, si, quod petis, 820  
 Evolve, nil te solor. hoc tantum accipe  
 Adesse, qui te forte Pompeius levet.
- Corn. Permite labi, fida curarum comes.  
 Vixisse pigeat tamdiu et vita frui.
- Domit. Cave tristiori fronte Pompeium, cave 825  
 Adeas! ferenda, quae dii immittunt, mala  
 Animo aequiore. videat ingentes tibi  
 Non excidisse corde, quos animos geris.
- Corn. O quantus alto pectore infixus dolor,  
 Stimulisque adactis confodit! quis nos deus 830  
 Petit ut nocentes, mactat infortuniis,

- Quos pro salute patriae in quodvis sciat  
Discrimen ire sortis et fati diem?
- Domit. O digna tanto principe, o forti duce  
Generata mulier, siccine evinci sinas 835  
Fractum dolore pectus, ut stabili gradu  
Moveare praeceps acta in imbellem nimis  
Gemitum nec illud robur excelsum geras,  
Quod callum acerbis rebus obducat? preme,  
Quae verba spargis mollia, et fractae sonos 840  
Mentis coerce! disce Fortunae pati  
Vtrumque vultum! ridet, alternis furit.  
Noli superbum nomen et famam tuae,  
Quam concitaras, gentis infami metu  
Luctuque quaterere! gloriam illustrem aestima 845  
Non turbulento te dare edomitam malo.  
Haec una solidae laudis exsurgit seges  
Adire casus pectore impavido truces.  
Tuere laudem hanc, fortis atque audax subi  
Caduca! tibi sors fluxa diripuit bona. 850  
Qui nunc potentis regis ornatum gerit,  
Cras viliores rustici vestem feret.  
Ita variante sorte, qui in turpes casas  
Vertere reges regna et auratas trabes,  
Sceptro potiti rursus imperium erigunt. 855  
Ideoque fixum maneat in terris nihil,  
Quod sit futurum stabile, perpetuum nihil,  
Perpetua nisi quod sortis inconstantia  
Humana pessum vertat atque iterum erigat:  
Peritura reges decora sortiti cadunt, 860  
Sed et resurgent; ergo Pompeius potest  
Sese subactum tollere et raptos sibi  
Reparare honores, quos tumens Caesar rapit.
- Corn. O coeca et amens ratio fatorum improbis  
Patrocinari, sternere ad terram bonos, 865  
Hos corruentes et relabentes magis  
Vrgere, ut istos aequitas causae nihil,  
Hos execrandus in suos furor adiuvet!
- Domit. Moderare temet teque in adventum para.  
Iam, iam adfuturum sentio. hos fletus mihi 870  
Cohibe fluentes teque luctificam amove.
- Corn. O quam cruentus vellicat pectus dolor!  
Detorqueamus, mea gubernatrix, gradum.

## &lt;Scena tertia&gt;

Pompeius

Pomp. Quo praepotentem dura Pompeium rapis,  
Fortuna? quo me Marte confectum vocas? 875  
Effundis ergo, quidquid irarum coquit  
Furor aestuantis pectoris? quidquid doli  
Fera machinaris, impetu coeco vomis?  
Sed viceris me meque multiplici ducem  
Obrueris astu, dederis exitio manus, 880  
Quas compararam, civium, non si furens  
Convertis in me tela, diffugiam pavens.  
Pro me ipsa virtus stabit, effrenem impetum  
Invicta et ardens sortis infidae premet.  
Nihil extimescam, praelia intentet nova 885  
Pugnasque Caesar, dirus immensum fremat.  
Fortuna favit Caesari, virtus mihi;  
Quae protegit me, quae relanguentem excitat  
Animumque firmat, removet imbelles metus.  
Animos resume, Magne Pompei, tuos 890  
Revoca triumphos, gloriam bello inclytam,  
Tibi quam tuorum terror armorum parit.  
Toto timeris orbe: victorem audiit  
Europa, vires Lybia formidat tuas,  
Asiaque ferrum verita submisit caput. 895  
Nunc, nunc furentes laetus invadam globos  
Aciesque densas pectore intrepido petam.  
Fortuna solitas versat instabilis vices  
Rotamque dubia torquet, excelsum extulit,  
Graviore quem mox Caesarem casu opprimat. 900  
Aptata sors est, destinat certae ultimum  
Locum ruinae; ruimus, ut facto impetu  
Erigerer; ecce! surgo et adversa incito  
Perfringo motu castra. iamdudum mihi  
Praesagit animus fausta, quae superi parant. 905  
Sed – ecce! – tristis uxor afflictum trahens  
Miseranda corpus seque in aspectum obiicit.  
Poedore vultum turpat et scissas comas  
Vellit, dolore frangitur pectus truci.

## &lt;Scena quarta&gt;

Cornelia, Pompeius

- <Corn.> O care coniux, Magne Pompei, vides 910  
 Inopem, trementem, cuncta pavitantem, gravi  
 Moerore mersam coniugem. aerumnas tuas  
 Funesta deflet seque lamentis necat.
- Pomp. Reprime cadentes lacrymas, turpes veto 915  
 Manare fletus. quidquid immane, horridum  
 Et execrandum fingis, in melius deum  
 Domus alta vertet; omnis abscedat pavor.
- Corn. Meliora sperem? Caesarem infestum mihi  
 Deturbet alte turbo? praecipitem dabit  
 Late potentem Caesarem inconstans dea, 920  
 Quae te innocentem ludit et victum quatit?
- Pomp. Lamenta cessent, squalidum vultum exue!  
 Potuisse vinci disce Pompeium, simul,  
 Benigna si sors fuerit, invictum fore.
- Corn. Sed trepida quaeram pauca, quae infandus dolor 925  
 Variusque mentis error obiecit; refer.  
 Vnde illa firmo pectori in tantis malis  
 Iniecta spes est? posse relevari putem,  
 Quem tot dynastae praelio fusum oderint  
 Nec se futurae conscios optent fugae? 930  
 Non video, qui se morte proposita ferant  
 In bella velle ruere, qui accersant minas  
 Tumidique spernant tela victoris tui.  
 Quae bella posthac dira Caesarei parent  
 Renoventque, novi; sic tuum interitum expetunt, 935  
 Vt arma semper saeva meditentur, tuum  
 Sitiant cruorem. tantus exagitat furor.  
 Proinde, coniux, verba, quae tristis sero  
 Extrema, tecum volve, si prudens loquor!  
 Miserere patriae, quae tua morte occidet 940  
 Stabitque vita! si quod effugium datur,  
 Speculare praesens tuque, quod tutum est, late!  
 Non te salutis cura sollicitet meae,  
 Amorque tangat. qua potes, capta fugam.  
 Gravis, inquieta est longa, quam texis, mora 945  
 Secessionis; cerne, quo veritas iter!  
 Si grata quaedam terra, si regio eripit  
 Temet periculo, si quod ignotum est solum,  
 Huc flecte gressus! me sine hic solam emori.

- Pomp. Quid ominaris fata, quae tardant gradum, 950  
 Nimiumque quereris? ne time, inveniam modum,  
 Quo te meosque liberos fato eximam.  
 Nunc pectore opus est, perfer hanc cladem et malum.  
 Auxilia nobis spondet Aegyptus nova,  
 Et apparatus bellicos Memphis ciet. 955
- Corn. Quam levia sint et vana praesidia, aspice.  
 Pro te subibunt hostis invidiam tui  
 Aciesque Phoenix subministrabit? dolos  
 Fraudesque metuo; quod malum impendet, cave.  
 Plerumque amici rebus adversis fides 960  
 Labat, ut hirundo frigido coelo migrat.  
 Fugisse cupies, cuius in fluxam fidem  
 Et te tuosque coniiicis. prudens vide,  
 Quos advocaris in tuam, princeps, opem.
- Pomp. Infausta narras, uxor, afflictum erige 965  
 Pectus! levamen rebus in fessis datur.  
 Soletur hoc te mentis augurium meae.
- Corn. Vnone miseros vulnere afflictos petet  
 Fortuna? non est impotens sortis furor 970  
 Ignotus. aliud textitur gravius malum,  
 Vel potius ipsa noxium accelero diem,  
 Quae te sepulchro condat et terra obruat.  
 Quid si, iugalis socia quod fuerim thori  
 Consorsque, Crassus periit et fatum ultimum  
 Contra feroces dimicans Parthos tulit? 975  
 Illum peremi teque, mi Pompei, alterum  
 Perimam maritum. reice, quid terram gravo?
- Pomp. Tua me dolore verba conficiunt. sile!  
 Tibi luctuosa fingis, hoc primum accipe.  
 In utramque fortes esse fortunam decet. 980  
 Animone fractus sublevem fractas opes  
 Ereboque clausos flebili eliciam sono,  
 Quos hausit ensis quosque sceleratus furor  
 Cives cruento praelio absumpsit? nihil!  
 Compesce luctus! tu parum forti feras 985  
 Hos mente casus? nobilem mentem excita!  
 Romana mulier, respice antiquam domum,  
 Qua se Quiritum gloria immensum extulit  
 Vetus et subactis gentibus leges dedit.
- Corn. Stantem et cadentem video Scipiadam domum, 990  
 Tuaeque stirpis funditus decus occidet.  
 Qui quatere coepit, urget, impellit, citat,  
 Agit in ruinam lividae sortis iocus.
- Pomp. Ego me tuebor, nullus obstat; mihi  
 Quis obstat? hac, hac parte si infesti ruant, 995

- Procurram in hostes. tela furioso impetu  
 Vibrentur; illa corpore obiecto induam.  
 Permite, cordis pars mei, armatas legam  
 Ferro catervas, signa collatis parem  
 Adversa signis, teque diversam amove. 1000
- Corn. Egone ut recedam? tam ferum et durum gerat  
 Tua fida coniux pectus? imperio obsequar,  
 Meam ut salutem vindicem et perdam tuam?  
 Tamen addo: si fors noster aspectus gravis  
 Videarque cladis causa, quae miseros manet, 1005  
 Meme execrandum et triste portentum procul  
 Asporta ab oculis, trude, quo libeat, nefas!
- Pomp. Non te repellam; potius e coelo cremet  
 Me lapsus ignis; quod solum calco, mihi  
 Dehiscat. hoc te deprecor: paulum morae 1010  
 Largire, regum ut prompta praesidia occupem.
- Corn. Sic te supremum Iuppiter salvum velit  
 Beetque; perge, perge, quo reliquus trahit  
 Ardor tuorum principum! toto impetu,  
 Toto dolore, viribus totis fremant. 1015
- Pomp. Huc advocetur Sextus, id saltem impetrem.  
 Quid rursus ipse vultus irrigua tepet  
 Deformis unda?
- Corn. cladis acceptae memor  
 Tabesco, coniux. sed tamen morem geram,  
 Quod imperatum est. abeo, mi coniux. vale. 1020

### <Scena quinta>

Pompeius

- <Pomp.> Actum est, peristi, Magne Pompei, iaces!  
 Fortuna te delusit et cuncta abstulit!  
 Hic solus erras; nullus est, qui te potens  
 Tutetur armis, regia exceptum domo  
 Conservet, hostes arceat, fortem manum 1025  
 Opponat. actum est! quas potes, latebras pete.  
 Ego, quem triumphus orbe devicto triplex  
 Reddiderat olim patriae evectum arduo  
 Curru, Quirites cum repercusso aethere  
 Geminare voces ore gestirent, sui 1030  
 Testes amoris, languido afflictus gradu,



Pavidus tremensque gradior incertissimae  
 Salutis exspes, exul, infelix, inops.  
 Deforme magni resto simulachrum ducis.  
 Ego provolutos genibus, exutos throno 1035  
 Sceptroque reges pulvere informi obsitos  
 Vidi monarchas, qui vererentur. modo  
 Qui me sequatur unus aut alter cliens  
 Vix est relictus, cuius accursu tegar.  
 Trabeam Tigranes posuit et stravit solo 1040  
 Sceptrumque forti misit excussum manu;  
 Prono recepit ore, quod regnum tenet  
 Et sceptrum per me. Magne Pompei, peris!  
 Obsedit animum languor imbellis? cadens  
 Succumbo? turpis principe excelsissimo 1045  
 De me triumphet luctus et laudem ferat?  
 Perrumpe, princeps, quidquid horrendum impetit  
 Graviusque bello gloriam partam quatit.  
 Superatus et deiectus et pessundatus  
 Exurge, redeat pristinus menti vigor! 1050  
 Antiqua repete decora et exactos diu  
 Toto triumphos orbe, quos virtus dedit.  
 Te bella poscunt alia dominantem; exere,  
 Quas fata vires versa pugnanti ingerunt.

### <Scena sexta>

Pompeius, Sextus

<Pomp.> Fili, parentem cernis, in cuius caput 1055  
 Male congeruntur numine adverso mala,  
 Quae tolerat insons. mene prohibentem eripi  
 Patriae salutem currere ad certam necem?  
 Natura versa est: iustus opprimitur, nocens  
 Habet secundos arcis aetheriae deos. 1060  
 Tamen, o meorum liberum maior, tui  
 Audi parentis iussa, quae aeternum probes.  
 Tibi carior sit luce libertas patrum,  
 Patriasque leges, nate, quas ferro tuor,  
 Tuere; non te flectat ambitio impotens, 1065  
 Non ira praeceps pectus aut mentem auferat.  
 Vide aequitatis ratio consilium regat.  
 In te tuum cognoscat et laudet patrem

Aliquando Roma. fata se celerant mea.  
 Mi nate, viguit nominis nostri vigor. 1070  
 Sext. Ego te parentem veneror et metuo simul,  
 Tuo dolore rumpor, exanimis cado.  
 Tua me pericla, genitor, excruciant mage  
 Quam si revinctus ire per structos rogos  
 Iuberer aut me carceri addictum nigro 1075  
 Mors lenta premeret aut leo immitis, furens,  
 Enectus atra rueret in corpus fame,  
 Mea membra dente raperet immisso tygris.  
 Amabo patriam, genitor, hoc pectus sacer  
 Amor occupavit, spiritum patriae dabo. 1080  
 Si me parentis ulla degenerem dies  
 Prolem videbit, corda si segnis stupor  
 Invadet unquam, fulminis torti minas  
 In me Tonans convolvat, hoc mactet caput,  
 Erebique barathrum mersus ulterius colam. 1085

### <Scena septima>

Pompeius

<Pomp.> Quemcumque dederint exitum superi, feram.  
 Durum est relatu Caesarem elatum supra  
 Victostrarum laude generosos mihi  
 Rapuisse in armis spiritus; pudeat levem  
 Non nosse pridem lubricae sortis rotam. 1090  
 Est, est acerbus fronte laetanti dolor  
 Tegendus; huc si principum fortis cohors  
 Prodierit, oris habitus et formae color  
 Erit induendus alius exacto metu;  
 Vultum explicabo laetior solito. duces 1095  
 Venere; tristes ore detergam notas.

## &lt;Scena octava&gt;

Pompeius, Q. Metellus Scipio, Deiotarus, T. Labienus

- <Pomp.> Accepta clades nunquid effregit ducum  
 Animos, refrixit ardor aut elanguit  
 Vis illa duri Martis? audendum mage.
- Deiot. Invicte princeps, nulla nos sortis movet 1100  
 Vicissitudo. strata sint castra omnia,  
 Aemathius agros ille conflictus pio  
 Sanguine rigarit, nec gradu segni ruens  
 Cuncta populetur hostis, est constantia.  
 Sua quemque virtus roborat; plenus spei 1105  
 Sum, Magne ductor, affore extremo Scythas  
 Orbe excitatos; nobiles turmas agent  
 Sparsosque cogent milites, quos non tuis  
 Certasse castris constat intactos adhuc.  
 Haec una gens est prompta, quae Tanaim bibit 1110  
 Tygrimque, pro te quamlibet sortem pati.
- Scip. Medos ciebo, dura quos fortes iuvant  
 Animantque bella; tempore exiguo exciti  
 Martem subibunt. adiget ad pugnas amor  
 Et ad arma pietas, quam tua expressit fides. 1115  
 Armenia validis ipsa complebit ferox  
 Pharetras sagittis et tibi multa fide  
 Vovebit ipsum corpus, et Parthus fugax  
 Metuendus arcum flectet et dudum abditus  
 Emerget, ut se prodat ultorem tui. 1120
- Pomp. Procul omen esto triste! nos rabies ferox  
 Petat insolensque proterat Martis furor?  
 Prolata vis est nostra, quam Pharsalia  
 Explicuit, illa clade detractum nihil.  
 Non si furentes aequor in coelum ferat 1125  
 Iaciatque fluctus, quando violento Notus  
 Absorbet undas turbine aut Aquilo erutum  
 Mare concitarit, astra subsidunt; licet  
 Sublatus astra feriat aut lambat tumor,  
 Vetat altitudo tanta, quae coeli patet. 1130  
 Contemnit aether, quas vomunt undae minas.  
 Sic altiores esse Pompei sciant  
 Animos, ut illos sternat et terrae adprimat  
 Illata clades Marte ab infesto. tamen  
 Non diffitemur esse concisas opes. 1135

	Sed quando sylvas saeva vernantes hyems, Quas ante calidus mollis aestatis vapor Vestierat, acri frigore exussit, comas Decussit, arbor nonne radices sata Profundiores aget et accessu novi Tepefacta veris viride reparabit caput?	1140
	Ita me recisum vidit infestus dies, Cum rapuit ac revulsit armatas ferus Mihi Mars cohortes cumque me septum undique Clara Quiritum plebe spoliavit. tamen Redivivus – ecce! – reparo convulsum decus.	1145
	Non Marius olim pulsus a Sulla fugam Foede capessit seque Minturnensium Abdens palude littora informi legit Rate barbararum gentium et gressum refert Generosus inde victor et fasces rapit, Sibi Consulatus debitos? sed quid queror? Non implicatum corpus exolvam plagis?	1150
Lab.	Vt firmitudo mentis et robur potens Me reficit! hoc te decuit, hoc prudens facis. Benigna tandem numina causam exitu Dextro probabunt, quodque in extremis solet, Aderunt frequentes Africae reges; salus Haec una superest certa. non probrum fuit Atrociori conseri in campo manus Vincique nostras; illa sed labes erit, Erit eluenda nos ut attritos semel Animos remissos gerere, nos ferrum manu Posuisse. timidus tutior nunquam fuit; Aditum nocendi perfidae praestat deae, Qui pavidus et qui cuncta desperat. proin Sollicita non te cura, Pompei, premat.	1155
Pomp.	Multo ante, proceres, mente prospexi vices Causaque belli. me meae aerumnae erigunt; Africa recentes legat et conflat duces, Vel ipse, Lybiae sceptrum qui torquet, Iubas Contraxit acies; horret arrectis ager Immensus hastis, fulgor armorum tremit. Indomita virtus nostra vivaces foras Extrudat animos, superet et crescat malis.	1170
		1175

## &lt;Scena nona&gt;

Pompeius, Legatus regis Iubae, Afranius

- Afr. Salve, Quiritum spes in extremis data,  
 Inimica quo pugnante vertentur polo  
 Favente castra! venit e Lybicus celer  
 Legatus oris, quas nec infortunia  
 Nec sparsa campis funera aut Martis furor 1180  
 Avertit a te.
- Pomp.                    numinis summi est favor  
 Caelestis; in nos dona transfundunt dii.
- Leg. Magnanime princeps, noster antiqua fide  
 Tibi notus ante rex Iubas vivit tui  
 Memor et refundit, quidquid e Lybia potest 1185  
 Sperare princeps virium. sese offerunt,  
 Eadem pericla perpeti mortis volunt,  
 Equitatus omnes undique obtexit levis  
 Collectus agros. tota se regio explicat.  
 Quod si furenter Caesar in Lybiam putet 1190  
 Irruere posse, norit intrepidus fore,  
 Quos metuat, Afros. totus in pestem vagus  
 Coniurat orbis Caesaris, quem sors leves  
 Erectum in auras non levi casu atteret.
- Pomp. Fortuna quos deiecit, hos versa vice 1195  
 Sereniori fronte respiciet dea.  
 Tamen illa, quae rex Africae spondet mihi  
 Auxilia, reparant castra, quae fudit tumens  
 Audaxque victor bella in Aegyptum trahens,  
 Ideoque, quo se rector Aegypti potens 1200  
 Convertat aut quem tempore infesto ducem  
 Legat e duobus, dubius opperiar. potest  
 Firmare nostras copias vel frangere.  
 Vnam salutis spero depositae viam.

## Argumentum actus quarti

Ptolemaeus Aegypti rex adscitis in concilium Pothino, Theodoro et Achilla, cum accepisset Pompeium postremo praelio fusum et profligatum appellere animum et cogitationem ad fidem et quodammodo clientelam ipsius explorandam, victus tandem et persuasus improborum consiliis sceleratis sinit se abripi ad insidias et coedem Pompeio Magno per Septimium, qui quondam Pompeio duce meruerat, fraudulenta legatione 5  
struendam. Pompeius postea, dum expectat a Ptolemaeo responsum, suorum maxime ultro citroque habitis sermonibus ab instituto itinere revocatur. ac cum in eo proposito persistit, erumpit uxor in theatrum, quae somniis quibusdam commemoratis diserte asseverat non esse suscipiendam 10  
navigationem in Aegyptum; repellitur Cornelia. tum illa quam celerrime advocat augures, aruspices, pullarios, qui introducti libere denuntiant avium volatu atque pastu funestam futuram profectionem et exitis hostiarum diis ipsis non placere decessionem; his non movetur Pompeius; advocationem mortuorum sese habituram Cornelia indicat. quo 15  
tempore Q. M. Scipio coeterique a secessione Pompeium deterrent, sed frustra. redit Cornelia adducto vate, qui praesente Pompeio manes excitat Sullae, Marii et aliorum imperatorum.

## Actus quartus <Scena prima>

Ptolemaeus rex, Pothinus, Theodorus, Achilles

- Ptol. Ad arma semper miles admoveat manus 1205  
Regnumque ferro firmet obiecto et minax  
Premat imminentes hostis assultus novi.
- Poth. Severa quo nunc verba, quo spectant minae?  
Oriturne Phariis terror in regnis novus?  
Solum revellat quispiam? infernam Styga 1210  
Depensus hostis adeat et ferro cadat.  
Minimo tumultu reprime, quod natum est, scelus.
- Ptol. Securus istud, dextra quod sceptrum gerit,  
Teneo. sed omnis nixa stat ferro salus  
Armisque regnum. perimar aut perimam. mihi 1215  
Non providebo, ne qua me incautum abdita  
Fraus perdat, hac me veste ne spoliet dolus?
- Theod. Quis iste dolus est? pande! nos valida manu  
Ipsam obruemus; sat scio auctorem doli.
- Ptol. Cui dum resisto, non mihi bellum creo 1220  
Hostemque reddo tempore inimico novum?  
Gelido pavore pectus attonitum salit.  
Victor timendus Caesar est: si paululum  
Obstitero coeptis, regio evertat throno.  
Diadema capitis nutat; imperii labat 1225  
Moles cadentis; ruere qui coepit, ruat.  
Ego te receptum, Magne Pompei, domo  
Trucidem, atroci mene perfidia induam?  
Incolume regnum pulsus Aegypto pater  
Abs te recepit profugus, extorris, miser. 1230  
Ita restitutus vixit, ut crebro sui  
Te caneret esse vindicem sceptri et throni.  
Fugientis an spes vana Pompeii ferar?
- Achill. Quid si repulso melior afflarit duci  
Fortuna? si se reparaet et vires legat 1235  
Numerosiores, non triumphantis sequax  
Currum sequere praeda Pompeii aureum?
- Theod. Bene cogitata vertat Altitonans deum  
Hominumque rector. longa te servet quies;  
Hunc si vocatum recipis, imperium feres; 1240  
Cogere parvus esse Pompeii cliens.

- Ptol. Egone innocenti et supplici mortem afferam?  
 Duce me furentes irruant in te manus,  
 Iugulumque iussu, Magne Pompei, meo  
 Fodiant clientes? quo meum nomen probro 1245  
 Scateret, aut qua morte non dignus forem?  
 Glomerata potius e polo nubes agat  
 Fulmen trisulcum, quo caput dirum obterat.  
 Exiliat ignis, membra qui rapidus cremet.  
 Quodcumque praeter fata consilium date! 1250  
 Ego comprobabo; nemo me ad coedem incitet.
- Theod. Non alia regni ratio tutandi datur.  
 Vis Magnus alta sede Pompeius sedens  
 Regnum gubernet et tuis leges ferat  
 Extorqueatque, quod micat sceptrum manu, 1255  
 Trabeaque fulgens se tuos supra duces  
 Ostendet? illum perditum, extorrem et vagum  
 Intra poenates regios, princeps, voca.
- Ptol. Horrenda memoras: me mea sede extrahat  
 Aut in supremos involet titulos miser 1260  
 Pompeius, omni nudus auxilio? mihi  
 Non hoc probabis, quamlibet dirum intones.  
 Me dura rupes Caucasi eductum horrido  
 Saxo creasset, meque crudelem ferus  
 Maris extulisset fluctus, aut saevo impium 1265  
 Leaena partu dira fudisset parens.  
 Ego perderem te sanguine innocuo obrutus?  
 Caput obligarem scelere barbarico meum?  
 Optatus – adsis – portus aerumnis ero  
 Et te enatantem, naufragum in terram asseram. 1270  
 Erit hoc asylum, quod tibi eiecto patet.
- Poth. Tibi regna, princeps, coelites firment diu,  
 Nunquamque regno pulsus, ignotus, vagus  
 Terras oberres. certa pernicies adest.  
 Instabile sceptrum est. cerne, quo rerum statu 1275  
 Iactatur aula seque in incerto tenet  
 Apex coruscus verticis. regni hoc bonum est  
 Artem arte, fraude pellere et fraudem nova,  
 Sibi providere. quem locum fraudi legas,  
 Scrutaris? intro recipe Pompeium! tua 1280  
 Mors eius ipsa regna firmabit. tui  
 Satisfacere solii te tenet, vilis tibi  
 Est vita nostra nosque ad interitum rapis?
- Ptol. Quo ravior anceps? ipse me inflammem truci  
 Violentus ira meque ad insanos agam 1285  
 Mentis tumultus? mene detractum throno  
 Famulare nomen gerere, me regem obsequi



- Suetum imperare? me metus varii ambiunt,  
Emota trepidant ossa, me exanimat pavor.
- Theod. Pavor abigatur: una Pompei salus 1290  
Et vita tanti est? tempus oblatum rape,  
Divina quod sors obiicit. strumam exseca,  
Quae virus in se plena mortiferum foveat.  
In Caesaris te gratiam confer novam,  
Quam consequeris coede Pompei edita. 1295
- Ptol. Per ego paternos, quos pius manes colo,  
Et per Tonantem perque Tartareos deos,  
Cuncta expavesco, vester et terror metum  
Duplicat. necandus ergo Pompeius mihi?  
Egone cruentus, saevus insontem enecem? 1300
- Theod. Hostem futurum cautus et prudens nece.  
Ptol. Quod ius futurum tollere inimicum putas?  
Theod. Non, quam futuram prospicis, fugias necem?  
Ptol. Ecquam crearit umbra Pompeii necem?
- Theod. Rex est futurus rege te extincto novus. 1305  
Exspes, ab omni sorte desertus nefas  
Nullum esse censet asseri in primum statum.  
Quocumque quaerit scelere conflato miser  
Renovare coesas hoste ab infesto manus.
- Ptol. Fortuna sed me laeva Pompeii movet, 1310  
Cui comminutae sunt opes, fascis cadunt  
Cui laureati. siccine immitis forem  
Et dirus, istud facinus haurirem improbus?
- Poth. Quod facinus hauris improbum, ut serves thronum?  
Iustone dubites funere in tetrum exulis 1315  
Caput involare, dedere exitio senem?  
Age, perge, princeps! luce funesta cadat  
Captivus. id te patria, quae mecum rogat,  
Deposcit, id te propria, quam perdis, salus.
- Ptol. In quos revolvor dubius atque anceps metus? 1320  
Agitatur aestu pectus atque animus labat.  
Eatur! at quo? fatane accelerem tua,  
Miserande Pompei? morere! sed quo te opprimam  
Fato immerentem? vive! sed timeo, mihi  
Tua nequid obstat vita. non vives! peri! 1325  
Tuus appetitus, fusus, exhaustus cruor  
Adamante duro fortius solium ligat.  
Scelus occupandum est morte, quod tectis mea.  
Nil vos moramur; quis mihi in laqueos nihil  
Fraudis timentem, tecta sperantem hospita 1330  
Proiciat? opus est ore simulato, tegat  
Quod blandiori subdolas vultu plagas  
Retiaque cautus nectat et collo inserat.

- Theod. Iam te potentem liceat et nullo metu  
Phariae occupantem regna felicissimum 1335  
Vocare regem. Caesar in coelum feret,  
Quod, quem fugavit Marte superatum, eiicis  
Fatoque mergis debito. sed qua via  
Potes aut secundis avibus actutum exequi  
Coedem, docebo. facilis ad coedem via est: 1340  
Mortem antecedit regiae fallax honos  
Legationis; captus hoc decore impotens  
Incurreret ipsam mente non sana scrobem.
- Poth. Septimius unus hoc sibi facinus rogat  
Totum relinqui. fictus ad technas probe est. 1345  
Si se dat, ut dat, utere ingenio viri!
- Achill. Ego ipse, quidquid virium, quidquid doli  
Opus est, profundam. cum mihi fraudis capax  
Animus, paratos vertet in laqueos pedem.
- Ptol. Bene habet. paretur, quidquid ad luxus facit. 1350  
Sit sumptuosa pompa, sit vestis nitens  
Auroque rutilans, gemmeas vibret faces.  
Ordo explicetur civium longus, vias  
Conspersa decoret laurus et quercus beet.  
Operta iubeo dicta, ne quisquam foras 1355  
Emittat; illa vulgus ignoret loquax.
- Achill. Hic te pavore solvet ingenti dies:  
Vnius a te morte detorquens feri  
Victoris arma Pharia servabis sola.

### <Scena secunda>

Pompeius solus

- <Pomp.> Evertte nomen, Magne Pompei, tuum, 1360  
Evertte! quando mole te immensa trucis  
Fortuna cladis proterit, non te amplius  
Splendore victus nominis Magnum tremat  
Diffusus orbis. Parvus es. Parvum casa  
Te parva claudat. sors tibi hanc liquit casam. 1365  
O Capua, quae me luxit affixum thoro,  
Cum morbus olim membra depascens gravis  
Febrisque Siculae more fornacis suos  
Evomeret ignes meque torreret furens

Semiustulatum. Capua, cur – praeposterus 1370  
 Amor – a cupita memet abducis nece?  
 Cur nuncupatis personant votis deum  
 Sacrosancta templa, pinguium multo calent  
 Arae hostiarum sanguine, evincis deos,  
 Italia, moerens, ne sua cymba Charon 1375  
 Me rapiat atra meque trans amnem ferat?  
 Si tunc fuissem morte consumptus, meos  
 Pressisset oculos ferreus lethi sopor,  
 Non hos subissem, quos fero, casus, meas  
 Non obruisset turpis a bello fuga, 1380  
 Quas dextra lauros fortior partas tulit.  
 Pompeius ille es Magnus, ad cuius latus  
 Tot confluebant principes, cuius manu  
 Stetere lapsi tot dynastarum throni,  
 Qui supplicantium more prostrato genu 1385  
 Sibi deprecantes foederum leges dari,  
 Rediere facta pace, quam victis tuli?  
 Nunc, nunc pudenda sorte commutatio –  
 Heu! – facta foedo tingit et contaminat  
 Rubore frontem. lumina in turpes eunt 1390  
 Soluta fletus. proh pudor! Pompei, gemis!  
 Ego, qui pericla mille perrupi et neces  
 Virtute et armis ductor effugi sciens,  
 Cum per cohortes bellicas graderer ferox, –  
 Ecce, ecce! – pulsus concido extremum diem 1395  
 Obiturus, – ecce! – funebri pompa efferor!  
 Eheu! quis intus conficit mentem dolor  
 Moerorque culpae conscium pectus vorat?  
 Excrucior animo. quid male in lucem editus  
 Non morior ante quam suos late explicet 1400  
 Caesar triumphos seque victorem efferat?  
 Felicitatis cursus abruptus meae;  
 Transversa tela iacta sunt; fatum obstitit;  
 Non ire contra vim deum aeternam potest  
 Humana virtus; has ego opponam manus 1405  
 Coelo minanti? numinum aversus favor;  
 Me destinatum funeri instanti petunt.  
 En cernite omnes, cernite ex illo duce,  
 Quem Roma toties laetior plausu fremens  
 Congratulante duxit in templum Iovis, 1410  
 Quid iam supersit, cernite et gemitum date.  
 His manibus undas corpore in fluvium dato  
 Pronoque curvus extuli, ardentem ut sitim  
 Exhaustus humor oris arentis levet,

Quo membra modicus fessa restauret cibus, 1415  
 Vires sepultas suscitet potus latex.

### <Scena tertia>

Deiotarus, Q. Metellus Scipio, Pompeius

- <Deiot.> Huc evocati venimus, cum nos agat  
 Communis in te fidus et verax amor.  
 O magne princeps, vota quo spectant? gradus  
 Quo vertis? ecquem quaeris effugii locum? 1420  
 Phariusne placuit tractus? an iuveni et novis  
 Rebus studenti principi credas caput?
- Pomp. Ego, qui parentem regis Aegypti fuga  
 Sibi consulentem reddidi eiectum throno,  
 Fraudes timerem? deinde, qui sceptrum gerit, 1425  
 Non sustineret tam impium factum sua  
 Effluere mente. proinde despero nihil;  
 Ptolemaeus horret rege non dignum nefas.
- Scip. Sed si quid in te, Magne Pompei, socer  
 Possum, rogatu te meo flecti velis. 1430  
 Cave blandientem, saepe velatur dolus,  
 Et condiuntur melle commixto cibi,  
 Quos si voraris ore, mortiferos voras.
- Pomp. Male ominaris; parce, si obsisto, socer.  
 Deliberatum est, cuius agnosco fidem, 1435  
 Ire in paratos regis Aegypti lares.  
 Quae verba coram rege dicturus, vide  
 Hic exarata. spero, ut auditam probet  
 Orationem seque mulceri sinat.
- Deiot. Cautè et scienter regis Aegypti fides 1440  
 Penetranda, Pompei. timeo, ne Caesar sibi  
 Prior occuparit pectus ignavum et leve.  
 Quin mittis ergo, corda qui pueri magis  
 Exploret? haud est summa, quae reliqua est, salus  
 Dedenda temere principi ignoto. meus 1445  
 Hoc iussit a te petere, quem laudes, amor.
- Pomp. Ne dubitate, duces! melior fortuna timentes  
 Nos manet. est animo pavor excutiendus in auras  
 Aethereas, trepida formidine solvite pectus.  
 Videte, amici, quorum in amplexus ruo, 1450  
 Ne cuius animus sorte tam infesta labet.

- Dum scripta memori mente complector, placet  
 Vos hinc remotos paululum e tectis pedem  
 Efferre, ne quae brevior officiat mora?
- Deiot. Tua dii secudent coepta, inoffensos tuae  
 Decessionis dirigant cursus. iter  
 Non obstruatur omine infausto. vale!  
 Nos victimarum coede perfecta deos  
 Consulimus. 1455
- Pomp.                   ite! sed meam moneo, socer,  
 Hinc dum recedis, coniugem affari velis. 1460  
 Natam parens solare, quae questus iacit.
- Scip. Hanc nulla possunt verba, quae mittam parens,  
 Lenire flentem; teritur incassum labor.  
 Tamen admovebo machinas omnes, quibus  
 Evicta fletus nata tam largos premat. 1465
- Pomp. Excessit omnis arbiter. sed quis domo  
 Extraxit istam foeminam, quae me afficit  
 Tam turbulente meque semianimem enecat?

### <Scena quarta>

Pompeius, Cornelia

- Pomp. Quae te querelae perditam luctu novae  
 Agitant? dolorum quae reviviscunt faces? 1470  
 Quid horror ille corporis tantus sonat?  
 Cur moesta feriunt pectora admotae manus?
- Corn. Ah metuo, ne sors ipsa, quae motu effero  
 Vtrumque quassit, non sit infortuniis  
 Expleta nostris neve nos mersos petat. 1475
- Pomp. Quod gravius in nos invehat, cedo, malum  
 Fortuna? non est vulneri telum novo.
- Corn. Miseranda et exspes timeo.
- Pomp.   quid, coniux, times?
- Corn. Iras deorum, quos diu infensos mihi  
 Experta totis artibus praesens tremo. 1480
- Pomp. Nostra deorum est clade restinctus furor.
- Corn. At me secunda Caesaris pavidam ferit  
 Sors inquieta; dein meam mentem quies  
 Et somniorum terror iniectus ferit.

- Pomp. Quod somnus ipse peperit, id frangat tuum  
Sine lege pectus? 1485
- Corn. quae dolor fari impedit  
Prohibetque, vidi spectra, quae infelix caput  
Vitamque – sic fert somnus – extemplo petent.
- Pomp. Sed cuius illa spectra deposcunt caput  
Vitamque?
- Corn. nos, nos appetit, quidquid mali 1490  
Nox atra cudit. hoc meus meruit thorus  
Infaustus; id me cruciat et luctu obruit.  
Videbar inter arborum sylvas breves  
Lassata somnos carpere atque animo graves  
Decoquere curas, quando furibundo lupus 1495  
Per arva cursu volitat insanum fremens;  
Hiante saevit fauce, disturbat casas,  
Quas pastor olim finxerat molli luto  
Et excitarat tecta solerti manu.  
Sed et – ecce! – circum candido aspersus ruit 1500  
Agnus colore, qui trucem effugiens lupum  
Quaerit latebras, quo citus vitam tegat.  
Huc fert et illuc, qua datur tutus fugae  
Locus, fugaces tramite obliquo pedes.  
Ego conspicata, qui ferox, avidus, rapax 1505  
Direptor agni dente mortifero lupus  
Evisceraret deviam praedam. metu  
Parumper haesi percita et somno gravis.  
Haec cum intuerer, venit a tergo cliens,  
Qui plenus ira parricidales manus 1510  
Imbueret agni sanguine et iugulum indito  
Mucrone foderet isque, quod vidi nefas,  
Cervice coesa gereret immitis caput.  
Ne multa! tellus sanguinis rivo madet  
Stillatque cervix. corpus exanimum solo 1515  
Prostat futurum pabulum alitibus feris.
- Pomp. Quid capite factum est?
- Corn. capite quid factum, petis?  
Is, qui cruenta contrucidarat manu  
Agnum immerentem, sustinet laeva caput  
Dextraque gladium.
- Pomp. sperne, quod monstrum refers. 1520
- Corn. Ad impotentis ense concisum caput  
Pastoris infert scelere perfecto lares.  
Laetatur atrox pastor hoc spectaculo.  
Sed quo notarem virus immanissimae  
Crudelitatis maius: id doni loco 1525  
Transmisit. at quo – nescio; hoc superi tegunt –,

- Quo, care coniux, spectat haec atra mihi  
 Oblata nocte visio? heu quanto pilus  
 Horrore surgit! pectus oppressum est gelu!
- Pomp. Quis iste lupus est quaeve tam immanis fera? 1530
- Corn. Quid, si ferinos induit mores lupi  
 Te persequendo Caesar et, quoniam manus  
 Non coede saevas inquinat, fors te improbus  
 Aliunde princeps ortus hac luce eiicit?
- Pomp. Quae te timentem vana sollicitant, vaga 1535  
 Noctis profundae quae paves ludibria?  
 Revoca timore devium pectus! nihil  
 Labefactet illum mentis invictae statum.  
 Propior sequetur rebus eversis salus.
- Corn. Est alia mordax cura, quam promi expeto. 1540
- Pomp. Quae cura tandem est, prome.
- Corn. quod somnus dedit,  
 Eludis. at non augurum ritus sacros,  
 Quos picta cantu volucris instruxit, potes  
 Ridere, vel quod doctus extispex probat  
 Aut renuit; ex his disce, quod metui decet. 1545  
 Impune nullus praepetes spernens aves  
 Evasit. augur aderit; accitum evoco.

### <Scena quinta>

Pompeius, Cornelia

- <Pomp.> Si quidquid alta nocte per somnum vides,  
 Erit audiendum, teque, quae horrendum volant,  
 Circumque spectra turbido motu adstrepunt, 1550  
 Deiicere, Pompei, te queant. vivi miser,  
 Cui tot quietem distrahunt mollem vaga  
 Simulachra, frondes quot per autumnum cadunt  
 Aut salsa fluctus maria corrugant truces.
- Redit – ecce! – verso lumine in terram thori 1555  
 Miseranda consors. augur armatus venit  
 Lituo. huc aruspex conscius fati assilit.
- Corn. Ne, care coniux, minue, quem obrudo, metum,  
 Admitte potius; quaere, quid clament aves  
 Missumque coelo fulmen et fulgur petat. 1560  
 Hic te docebit omnia. huc fati sciens

Processit augur. exta qui pecudum quoque  
 Scrutatur, ad te iussus advertit pedem.  
 Pomp. Soleris, augur, foeminam! huc artem tuam,  
 Avium volatus advoca, ut firment ratam 1565  
 Profectionem, Pharia quo tellus vocat.

### <Scena sexta>

Pompeius, Augur, Cornelia, Aruspex

Aug. Ego templa coeli nuper intentus polo  
 Fors metiebar; lituus incurvus plagas  
 Signabat omnes, qua diem Phoebus refert  
 Et qua profundo mersat Oceano iubar, 1570  
 Qua parte medium dividit mundo diem  
 Et qua nivosus Aquilo furibundum tonat.  
 Expecto, tacitus lustris, quod signum daret  
 Notata coeli regio, cum subitus fragor  
 Auditus actas monstrat in coelis aves. 1575  
 Tractu sonante hinc penetrat et findit Iovis  
 Ales Tonantis fulvus ultrici irruens  
 Rostro superbus seque sublimem erigit  
 Quaerens paratos, quos petat rostro cibos  
 Vnguesque curvos tingat et saturet famem. 1580  
 Vt se per auras aquila suspensam citis  
 Libravit alis, cygnus adverso volans  
 Emersit orbe, cumque conspexit ferum,  
 Quem metuit, hostem, scrupeam celeri specum,  
 Quae propior adstat, quo potest, lapsu petit. 1585  
 Citius sagitta fertur et vento furens  
 Regina volucrum nunc in obliquos citat  
 Agitatque gyros corpus inque altos modo  
 Pernicitate iactat assultus. latus  
 Nunc illa cygni figit et stimulo fodit 1590  
 Nudatque plumis; roseus in terram fluit  
 Stillatque sanguis, viscerum extracti sinus  
 Labuntur; uncis pedibus implicitam tenet  
 Praedam nec ipsa morte compescit sitim  
 Ales malignam mortuum inimicum tuens. 1595  
 Corn. Maiora quaeris, mi, voluntatis deum  
 Indicia, coniux? tene non cygnus lacer



- Perturbat? ecquid tutus hoc signo potes?  
 Infesta metue numina et laevum diem.
- Pomp. Omitte, coniux, tristia, ingenti mage 1600  
 Meliora mente concipe! an potius putes  
 Oloris instar corpore absumpto mihi  
 Esse moriendum? mene, me imbellem polo  
 Cygnum volente sentiam? quae me nota  
 Enervis animi sternat, ut timidas aves 1605  
 Infra reponar? alia se in melius dabunt  
 Ostenta. noster alitis summi est labor.
- Aug. Quam fausta vellem fluere ad arbitrium e polo  
 Auguria, princeps! proditur coeli furor  
 Aliquis timendus. in tuos hostes malis 1610  
 Avibus remittant numina hoc, quidquid mali est.
- Pomp. Consilia superi tecta per volucres sua  
 Prodant? quid illa tanta consternatio  
 Mentis supremae velle, quod clausum est polo,  
 Id avibus ipsis esse patefactum? nefas 1615  
 Futura nosse, quas aves, augur, canis.
- Aug. Absit volucres nosse, quae norunt dii,  
 Futura dicam; non futurorum capax  
 Avis est; sed illa libero caelo vehit  
 Eventa, quae non augures ipsos latent. 1620
- Pomp. Quae ratio? quis te, quidquid abstrusum est, modus  
 Iuvat eruendi? fare! qui in sensus deum  
 Hac arte fretus ire secretos potes?
- Aug. Quo propior astra tetigit et lunae globum  
 Feriit coruscum volucris excelsum volans, 1625  
 Hoc certiores haurit eventus avis,  
 Quos concitatis indicat plumis. suo  
 Praesaga cantu dicit ignorans, levi  
 Cur icta motu dissecet ventos leves.
- Pomp. Age, quid timendum est? exta quid prohibent boum? 1630
- Corn. Hic tetriona vidit et ruptis boum  
 Pectoribus atros tristis aspiciens fibras  
 Tractat cruores. ne quid affingam, abdita  
 Fidens aruspex omnia evolvit tibi.
- Arusp. Litare primum moesta me coniux diis 1635  
 Vt imperavit, lectus e medio grege  
 Iuvenus albo vertice et reliqua cute  
 Fulva notatus trahitur. ut primum stetit  
 Admotus aris, non sacerdotis manum  
 Sentire facilem passus intractabilis 1640  
 Exiliit et se concito cursu furens  
 Subduxit aris; curritur; raptum neci,  
 Quo capitur, ipso gladius elatus loco

- Tandem iuencum destinat; propera manu  
Evisceramus; ilia infecit cruor 1645  
Sanie inquinatus; cordis exsecti fugit  
Pars omnis, et, quod territat pectus, rogos  
Extruitur altus, hostia in structum illico  
Coniicitur ignem; vix in accensos focos  
Immissa, cum se rupit in partes duas 1650  
Divisa; miseram flamma non ussit; datas  
Violenta carnes fumus infaustas obit.
- Pomp. Nihilne reddunt exta, quod vester probet  
Ex arte natus opere perfecto labor?
- Corn. Dilecte coniux, vera, quae retulit, cape! 1655  
Simulata ne nunc dicat, attentus vide.  
Quo consulentum vota vertuntur, sua  
Plerumque cautus vertit extispex. cave  
Effata! nunquam te voluntates deum  
Piget exequutum. coniugem ausculta et cave. 1660
- Pomp. O socia thalami, me ferit gelidus pavor,  
Quod te undiquaque mente collecti metus,  
Seu sol recondat seu vehat terris diem,  
Proterere soleant. cur in eventus trahis  
Semper sinistros, non in atrocem magis 1665  
Hostem retorques? parce, quas querulum gemens  
Confecta luctu pectore exanguis eiicis,  
Male ominatis vocibus! metuas nihil.
- Corn. Altum dolorem fronte sub laeta premis.  
Ille, ille vultus velat, occultat, tegit 1670  
Inauspicato, triste quos coelum indicat  
Nobis pavores, quo tamen certus magis  
Pateat deorum sensus incertae mihi.  
Placet? evocentur lividae manes Stygis?
- Pomp. Placet, Acheronte conditos manes voca. 1675

### <Scena septima>

<Pompeius,> Q. Metellus Scipio, Domitius Aenobarbus

- Scip. O summe ductor, voce non ulla queam  
Cohibere natam. quo putas cursu pedem  
Hinc extulisse? qualis intorta fugit  
Cervus sagitta fossus et vitat canum  
Diros latratus, torsit hinc alio gradum. 1680

- Pomp. Violenta citius fulmina aut ventos queas  
 Rapidos morari, tela vel laxo semel  
 Revocare nervo missa quam cursum incitum  
 Cohibere natae et foeminae. haec ventos furens  
 Superat volantes, Tartarum coecum excitat 1685  
 Cietque manes victima coesa leves.
- Scip. Horrenda metuo credulus fors an nimis.  
 Tibi notus ardor Caesaris, notus tumor,  
 Natura nota est, qua trahit ferro horridas  
 Caesar cohortes, cuncta populatur velut 1690  
 Bacchante Borea, cum minax flatum evomit,  
 Fugantur alto turbidae nubes polo.  
 Peragravit Asiam turbine armorum fremens.  
 Largitione quot sibi adsciscit potens  
 Populos? quot urbes munere obstringit dato 1695  
 Immunitatis? perfugas omnes sua  
 Humanitate lenit et captos fovet.
- Pomp. Sperare bene me, bella qui flectit, deae  
 Ludus iocusque cuncta vertentis iubet.  
 Quos sors subegit quosque depressos dedit 1700  
 Et proterendos hostibus, sursum eriget  
 Solioque reddet, quos solo abiecit, duces.
- Aen. Ignosce, Pompei, si quod est factum scelus,  
 Quando proterve te meo laesi ducem  
 Furibundus ore, quando te sermo impotens 1705  
 Coegit arma capere tam tristi die.  
 Mea culpa tota est, nostra, quae discors erat  
 A te, voluntas sustinet fraudem impiam.

### <Scena octava>

Pompeius, Cornelia, Vates, <Pullarius>

- Pomp. Quo properat uxor? sequitur a tergo tremens  
 Vates, nigrantis regna qui terret Iovis 1710  
 Manesque turbat.
- Corn. iam meae vocis sonum  
 Audire liceat. cernis, ut vates canat  
 Fore luctuosa regna, quae Nili petis?
- Vat. Adsum vocatus, triste concilium excito.  
 O qui coerces antra Tartareae domus, 1715  
 Emitte, qui funesta proturbent mala,

Quae tristis et turbata Pompei horruit  
 Vxor. profundi Ditis occlusas fores  
 Reserate, vel vos coget invitos gravis  
 Prodire sermo durus, odiosus, ferox. 1720

Emergite ergo, quotquot in lucem dari  
 Praesens periculum cogit, aut cuncta ostia  
 Pandens revellam. tota prorumpat cohors  
 Populusque vita functus e fundo excitus  
 Exoneret atras, Pluto quas habitat domos. 1725  
 Exanguis vulgus sede ab obscura eruam.

Favete linguis! audior; tristis, silens  
 Cocytus errat; fumidus Phlegethon vomit  
 Trepidante Dite, qui vorent Romam, globos.  
 Egredere, quisquis nocte de media ruis. 1730

Quis iste tandem? SVLLA, purpureo rubet  
 Rore irrigatus, dextera gladium rotat,  
 In ora torquet, corde quas coxit minas.

Quis alter? est, est MARIUS, e cuius manu  
 Districtus ensis fulgurat, coede impia  
 Replet urbis, olim quae cruentarat fora. 1735

Ecce, ecce! surgit patriae afflictae pater,  
 Rigidus CAMILLVS, praelio indicto fugans  
 Ex urbe Gallos. queritur infelix iugo  
 Suos Quirites, quod removisset, premi. 1740

Quis pone tardos lumine effosso gradus  
 Accelerat? ecquis? Poenus est, rabidum execrans  
 Nomen Quiritum seque crudelem incitans.  
 In ora saevus nostra te, Pompei, face  
 Designat atra, mortis aspersum nota 1745  
 Transcribit atrox ANNIBAL seque arduus  
 Ostentat, oculos igne Tartareo illitus.

PTOLEMAEVVS oritur, genitor illius, modo  
 Qui Pharia iuvenis sceptris torquendo manu  
 Minor administrat. sed fuge hinc, Pompei, fuge! 1750  
 Cratera nigro sanguine undantem iacit  
 In te minaxque propius adventat. fuge!  
 Cratera spargit, fervet exhaustus recens  
 Cruor, et rubentes proluunt rivi solum.

Ptolemaee, loquere, redde, quem petimus sonum: 1755  
 Ausitne Memphim petere securus sui  
 Pompeius? aliquos captus incurret dolos?

Ptol.Pat. Quid me sub auras carmine invitum rapis?  
 Mors atra natum, video, Ptolemaeum manet.  
 Quo scelere dirum mortis accersat diem, 1760  
 Ignoro. Stygios repeto, sic iubeor, lacus.

- Vat. Res acta Pompei est. cerne, quo divum vocent  
Retrahantque nutus: regna Pelusi time!
- Corn. Nihilne valeat turba, quam extrusit domus  
Pallentis Orci? sermo fatalis nihil  
Mentem obstinatam vertat aut moveat gradu? 1765  
Contra abnuentes ire decernas deos,  
Quorum tueri pectus aversum potes?  
Saltem oro, Pompei: si quid extremæ preces  
Exprimere possunt, respice, ut pascant aves, 1770  
Quas texta cavea claudit impastas. cibos  
Peritus augur suggeret. pullos vide.
- Pomp. Nil te, fidelis uxor, impedio; suos  
Emittat alta cavea, quos pullos tegit.
- Pull. O qui, deorum rector, hos avium regis 1775  
Pastus et escas quique per varios soles  
Motus volucrum pandere eventus, velis  
Aperire clausos numinum sensus; potes.  
Comesse nolunt, despuunt offam neque  
Contingere audent. omen hoc unum time, 1780  
Sed triste: pullus sponte non gustat dapes.  
Pullariorum palpitat pectus metu,  
Angorque trepidos vexat atque animos rapit.
- Corn. Vnum rogamus, perfer imperium deum,  
Qui te morantur, ire properantem vetant. 1785  
Id obsecranti coniugi coniux dabis?
- Pomp. Id dabimus; at te doleo prostratam metu  
Enervis animi foeminam exhorrescere  
Manes sepultos, augures, pullarios  
Aruspicesque. vota quo torques tua, 1790  
Responsa torquent. quod reformidas, timent  
Aiuntque, quod ais; quod negas, pariter negant.  
Ita, quo voluntas coniugem timidam rapit,  
Rapiuntur et, se parte qua flecti vident  
Te velle, flectunt verba consulti augures. 1795

## Argumentum actus quinti

Pompeius deplorat infelicem Romanae gentis conditionem, quod, dum quisque suae cupiditati et ambitioni obsequitur, rempublicam in summum periculum adducat. Deiotarus et Scipio, cum Pompeius de suscepta profectioe demoveri non potest, Pompeio iubente alio demigrant. nec ita multo post legatio Ptolemaei regis duce Achilla se spectandam praebet; perhonorifice Pompeius consalutatur et a Septimio, qui eius miles fuerat, confoditur abscisso capite. Philippus cum collectis, quae dispersa erant, lignis pyram extruxisset, corpus domini sui, quod tunica interiore, quam unam habebat, involverat, in rogam imponit. his succedit Ptolemaeus, ad quem caput Pompeii defertur, quod ad Caesarem Aegyptum petentem deportari imperat. Caesar, qua erat clementia et morum comitate, avertit primum oculos a Theodoro, qui caput obtulerat. post longam demum complorationem et lamentationem Caesaris totiusque exercitus caput ipsum comburendum se praesente curat interiecta militum funebri circa rogam decursione.

5

10

15

## Actus quintus <Scena prima>

Pompeius

<Pomp.> O qui sydereos nutu convolvitis orbis,  
Tuque deum imprimis pater et fidissime custos  
Imperii, Latias qui protegis hactenus oras,  
Iuppiter! o si culpa tuos infanda furores  
Excierit Stygio pridem damnanda barathro, 1800  
Delige, quos sontes flammis ultricibus uras.  
Quos gravior nacta est sceleratos noxa, repertos  
Obruat; hi poenas, quas iustior ira reposcit,  
Morte luant merita; insontes ne plecte, nocentis  
Obtere fulminea caput exitiale favilla. 1805  
Quod si forte meo furor ille deumque potentes  
Non irae frangi neque pectora concita flecti  
Interitu possunt, quo Romam fata reservant?  
Quo Romam, fortuna, trahis? quo funere mergis  
Rapta tot exactis toto orbe tropaea triumphis? 1810  
O quanto Latium turpamus crimine nomen!  
Vt nos perfidiae labes inhonesta perurit  
Et maculat miseros, quod, cum servile parentum  
Aetas prisca iugum per tot fera bella removit  
Excussitque, tamen male nati accersimus ultro 1815  
Depressamque gravi gaudemus pondere Romam!  
Roma, peris! te, Roma, tui vincere Quirites  
Non duro dubitant vinclo; tibi ferrea saevi  
Fata serunt; te deiectam de culmine summo  
Non horrent miseram extremos haurire labores. 1820  
Libertas tibi diripitur, quam sanguine patrum  
Effuso partam seri meminere nepotes.  
O malesanus amor regni! malesana cupido  
Laudis! et imperii sitis insaturabilis! ardor  
Mortifer! ambitio, o teterrima pestis amicae 1825  
Libertatis! honos, o cur furialibus iris  
Incendis tumidum pectus dirumque venenum  
Spargis et insano dementas Caesara motu.  
Ambitio, o quantum vehis intra moenia Romae  
Effrenata malum! te primi aluere parentes, 1830  
Cum se pollueret fraterno sanguine, regni  
Caecus amore, ferox Romanae conditor arcis  
Romulus et sacros regis temeraret honores.

Nulla fides, quos summus apex coniunxit honoris,  
 Alligat unanimes; non hos concordia stringit; 1835  
 Alter in alterius mortem ruit; impia saevus  
 Bella gerit, non hic aequo socialia ferre  
 Iura potest animo, quem fors amor ussit honoris.  
 In generum et socerum crudelia in arma ruentes,  
 Ambitio, armasti bellatricesque catervas 1840  
 Proteris exacuens, quando fragor aereus enses  
 Excitat exertos adversaque castra propellit.  
 Per te Thessaliae campos cinis altus obumbrat  
 Caesarum et pingui circum saturata cruore  
 Arva nitent, cum se geminae bacchante Megaera 1845  
 Proiiciunt acies emissaque tela per auras  
 Confusae densos prosternunt stragis acervos,  
 Totque cadunt uno cives sub Marte, quot olim  
 Sufficerent, si quis novus orbis in orbe domandus.  
 Ponite corde metum, Parthi, gens aspera bellis, 1850  
 Et formidatos humerus gravis exuat arcus.  
 Ne trepidate! nihil vos Crassi funera turbent,  
 Non vestras ferro iratus penetrabit in oras  
 Romanus miles neque praelia in ardua surget.  
 Exhaustas gemimus gladio ferroque cohortes 1855  
 Deletosque duces, quorum vos nomen obortum  
 Terruit exanimes caecisque coercuit antris.  
 Civilis nigro furor eructatus Averno  
 Plus tibi, Roma, nocet quam si, quos terra refuso  
 Alluit Oceano populos, communibus acti 1860  
 Incensique odiis bella efferat, bella cierent.  
 Terror eras orbis quondam; tua poplite flexo  
 Pronus adorarat vexilla remotior ultra  
 Aequora salsa Scythes; tibi se Germania supplex  
 Deposita feritate animi submiserat; ardens 1865  
 Marte alios supra populos Gallusque, furenti  
 Qui pugna gerit invicto sub pectore mentem,  
 Imperium edomita cervice subactus amarat;  
 Maurus, Arabs, Medus, Macedo, Lybs, Indus, Iberus  
 Succiduo tremuere genu frenumque receptum 1870  
 Non excusserunt, rapidi quos orbita solis  
 Circuit et pleno perstringit lumine gentes.  
 O furor! o rabies! o duri insania ferri!  
 In tua convertis proprium cava viscera telum,  
 Exitium tibi, Roma, creas pestemque nefandam 1875  
 Acceleras propiore gradu; tibi stamina rumpis  
 Ante diem et Stygias trahis ad tua fata sorores.  
 Sed quid gementis instar et luctu novo  
 Renovantis altum vulnus obductos prius



Refrico dolores? si meas audit preces  
 Ptolemaeus, ego te, patria, quae iugulum malae  
 Das servituti, Marte defendam novo. 1880

### <Scena secunda>

Pompeius, Deiotarus, Q. Metellus Scipio

- <Pomp.> Iterumne, fidi principes, mecum asperam  
 Duramque sortem perpeti, infamem fugam?  
 Vos ite, potius ite, quo superi trahunt. 1885  
 Deiotare, constans rebus accisis amor  
 Cuius probatur, in tuum regnum redi.  
 Quis iste tantus ardor, ut miserum sequi  
 Miser ipse, princeps, morte proposita velis?  
 Vides, ut ipsum, scepra qui Phariae quatit, 1890  
 Vocem in periculum. solus hoc munus mihi  
 Deposco; vestrum est militum robur novum  
 Velle usquequaque legere, cum tempus ferat.  
 Revertere ergo, repete, quas terras regis,  
 Ne quem tumultum patrius populus serat. 1895  
 Da, da cupitos, da, quid amplexus negas,  
 Regnator, arctos? vultus immaduit? genas  
 Irrorat imber? flebilem vocem exprimas?  
 Deiot. Qua mente, Pompei, damna, quae cerno, subis?  
 Contempler ipsas siccus aerumnas tuas? 1900  
 Peracerbus alta corda non frangat dolor?  
 Quid me remittis? ora te, Pompei, mea  
 Consauciarunt? mene funestos dies  
 Augere stantem?  
 Pomp. quod peto, princeps, neges?  
 Abi, meusque, qui mihi a laeva, socer 1905  
 Abeat, remotos quos potest populos trahat.  
 Scip. Tibi displicemus? parce, si, Pompei, vides  
 Obtemperantes aegrius; fac nos tui,  
 Si quod ferendum est, esse consortes mali.  
 Pomp. Mihi displicetis? absit, id tantum impetrem, 1910  
 Vt mox receptos alia vos condant sola,  
 Aliena tellus abdat, ut, si quis locus  
 Erit ad novandas uspiam armatas manus  
 Datus, eligatur. coniugem caram, socer,

- Commendo; pater es, reddo commissum mihi  
Sacrumque pignus; filiam reddo patri. 1915
- Scip. Iter ut capessat filia aversum patris,  
Roganda non est. tota succussu tremit.  
Si quis futurae rumor afflarit tuae  
Profectionis, omne quodcumque est malum 1920  
Parata tecum ferre. discedo. vale.
- Pomp. Vnde iste fletus? flumen in vultus tuos  
Decurrat undae? frange ut indignum viro  
Et rege, tua qui corda moerorem fodit.
- Deiot. Ego conspicatus laude certantem Iovi 1925  
Supraque celsos ire Pompeium duces  
Magnum, timendum, cuncta moderantem modo  
Te servientem cerno, venantem undique  
Praesidia regum; parce, si victus fleo.
- Pomp. Deiotare, quid me confodis luctu? vale. 1930

### <Scena tertia>

Pompeius, Philippus

- <Pomp.> Expecto sortis ultimum hic actum meae  
Tremente semper pectore et mente anxia.  
Dii quanta, Pompei, pretia pro tantis tibi  
Meritibus rependunt, orbe ut immenso tuae  
Nullum salutis esse perfugium velint? 1935  
Tua iam peracta est scena, quae pleno efferat  
Laudes theatro; reliquus obscura tibi  
Velatur actus nube; te Dirae latent;  
Quaquam quid horres dubia, quae pendent, mala?  
Casura non sunt sorte, quid frustra paves? 1940  
Philippe, res est certa: subiectum potens  
Sibi me videbit, regna qui Aegypti tenet.  
Huc congregetur parva, quae restat, domus  
Mecumque docta ferre servitium ferat.  
Dii tuta faxint littora et terram occupem. 1945
- Phil. Quaecumque dominum te meum tanget furens  
Fortuna, tanget ipsa libertum; manus  
Tibi consecratae, pectus obstrictum hoc tibi.
- Pomp. Pompei, quid haeres? tota in adventum ruit  
Effusa Memphis; columen hoc firmum mihi 1950  
Sum nactus, unde fulciam accisas opes.

## &lt;Scena quarta&gt;

Pompeius, Achilles, Ptolemaei Legati, Philippus, Septimius

- Pomp. Obscura nunquam regis Aegypti fuit  
 In me voluntas. puduit in rebus fidem  
 Lapsis precari; puduit hoc habitu nigro  
 Specieque tristi corporis tanti domum 1955  
 Ambire regis. nulla non aetas fleat  
 Venisse, cuius arma trepidanti metu  
 Extimuit orbis, exulem, in morem vagi  
 Clientis, ut me rege patrono excitem.
- Achill. Confide, princeps! fata se flectent rata; 1960  
 Erit aliquando tempus, exorabilem  
 Fortuna cum se reddet. alternas vices  
 Amat: agitatum saepe tranquillat fretum  
 Coorta mollis aura. disiectas rates  
 Furente vento portus optatus capit. 1965  
 Vt parva nubes solis obscurat iubar  
 Eademque tandem victa maiori impetu  
 Phoebi micantis illico in nihilum redit,  
 Ita casus atrox nobilem quassit domum,  
 Clademque sparsit turbidus ferri furor, 1970  
 Sed amplior te maior et vivacior  
 Virtus manebit, coeca quam nullo impetu  
 Fortuna reprimat. sequere Fortunam tibi  
 Benigniore; certior tendit sinus,  
 En, aura plenos; qua datur, cursum pete. 1975  
 Sibi quisque lauro vincit et nectit comas,  
 Omnesque viridis arbor insternit vias.
- Pomp. Quisquis superbae limen ingreditur domus,  
 Fit servus, etsi liber intravit domum.  
 Septimius iste nonne me bello ducem 1980  
 Sequutus olim est? Septimi, quid me minax  
 Torvusque coram dispicis? quid? te procax  
 Avertit a me sermo? violentus furor  
 Offendit unquam? redde, quem vultum eripis  
 Benigniore, Septimi! id poscunt mea, 1985  
 Quae merita nosti maxima, id poscit fides  
 Iurata, longus usus in castris petit.  
 Quid iste dirus vultus explorat?
- Sept. necem  
 Explorat atram tamdiu et fatum admovet.  
 HABET, PERACTVM EST. cecidit et terram premit. 1990

Non huius ultra progredi mortem licet.  
 Tantum auferatur, scissa quae cervix labat.  
 Hoc munus unum est, quod dari extremum sibi  
 Ptolemaeus ardet. fors dedit nobis locum.

### <Scena quinta>

#### Philippus

- Phil. O qui tremendas coniiicis coelo faces, 1995  
 Sator tremende! grande confectum nefas,  
 Et abominando scelere turpatum solum.  
 O quanta lentitudo divorum patet  
 Furoris! eccur axe non rupto ocyus  
 In tam scelestos fulmen intortum cadit, 2000  
 Non crepitat ignis, turbo non terram rapax  
 Graviore pulsu motat, ut vasto Chaos  
 Scelus hoc hiatu claudat? o truces, truces  
 Violasse ferro principem augustissimum!  
 Taceantur arae, strage mananti hospitum 2005  
 Quas impiavit tygride eductus fera  
 Busiris atrox, quique Diomedes cibus  
 Saturavit olim saevus humanis equos,  
 Clemens vocetur; maius exortum novae  
 Crudelitatis specimen ante oculos cadit. 2010  
 Cuius inhumatum corpus hae versant manus,  
 A quo refugit animus et vivax calor?  
 Inimica tellus ferre maturas vetet  
 Renuatque fruges; Nilus undantes aquas  
 Refluosque fluctus gurgite occluso premat. 2015  
 Ego nuda domini membra, quae pigro gelu  
 Frigoreque victa mors inhorrescens dedit,  
 Lavanda tango? sed quis ad bustum locus?  
 Quae lecta vastam ligna cumulabunt pyram?  
 Quo te sepulchro grata liberti inferet 2020  
 Pietas, quis ipsos unget aut pingui oblinet  
 Artus olivo, ut truncus informis rogo  
 Exustus urnam cinere congesto gravet?  
 Ah quam dissimilis lux illa diesque triumpho,  
 Cum post depressos Asiae Europaeque dynastas, 2025  
 Quos humilis reges stravit pavor, alta superbo  
 Evectum curru Capitolia in alta reduxit

Roma, per effusas cum plebs numerosa senatu  
 Decernente vias geminat cumulatque triumphos.  
 Vidi egomet, cum dispositis longo ordine turmis 2030  
 Nobilitas in equis volitavit et aere decoro  
 Collucens laetos tibi non invidit honores.  
 Vna salutantum vox haec: toto orbe fugatos  
 Frenatosque tuis summa cum laude rebelles  
 Auspiciis, quibus impositos grave ferre magistros 2035  
 Romanos fuerat praescriptaque iura tueri.  
 Heu studium quantusque favor, cum milite denso  
 Stipatus medioque foro interseptus obires  
 Concursus oculis, quos fama attraxerat oris  
 Italiae et pompae pulcherrimus ordo cieret. 2040  
 Iam te squalentem nec honesto vulnere mortis  
 Extinctum et turpi deformem pulvere truncum  
 Aspicio? ast, unum rebus solamen in arctis  
 Heu misero restat mihi, quod te nostra rigentem  
 Dextra tenet. quanquam – o superi mea vota secudent, 2045  
 Vt, qui te Aegypti nece perfidiosus acerba  
 Rex hostile fremens vitalibus exuit auris,  
 Indignus vita crescentes finiat annos  
 Ignotaque iacens rex ignoretur arena.  
 Ah gelida saltem membra contingam prius, 2050  
 Quam tota perdat flamma, quam totum furens  
 Vulcanus urat corpus aut tumulus voret.

### <Scena sexta>

Explorator

<Expl.> Quicumque legitis littus infidum et rate  
 Traiicitis undas aequoris Pharii, fuga  
 Servate vosmet! principe oppresso brevi 2055  
 Comites ruina volvet incautos pari.

## &lt;Scena septima&gt;

Ptolemaeus, Theodorus cum aliis

- <Ptol.> Mihi luxit hodie faustus et felix dies  
 Totique regno, vestra cum fida ebibi  
 Consilia prudens aure, cum per vos data  
 Celer exequendo iussa munivi thronum 2060  
 Et regna longa pace vallavi mea.  
 Nisi sustulissent arma Pompeium, nigro  
 Cuius videtis sanguine et tabo caput  
 Turpatum, ad ipsum nonne Pompeius thronum  
 Violentus isset? nunquid excussum mihi 2065  
 Diadema, quamvis patrium, facto impetu  
 Rapisset aut vos premeret imperio impotens?  
 Sed cessit aliter, spolia superati dolo  
 Tenentur hostis. non potest fieri nocens,  
 Qui, quos pararat hostis, occultos sagax 2070  
 Praevertit astus. capitis implicitum feri  
 Velamen aufer! pateat immanissimus  
 Totius orbis turbo, praedator sacrae  
 Pacis, tumultus auctor et belli artifex.  
 Hoc, hoc malorum sevit Iliadem caput; 2075  
 Hinc orta dira bella, et insanus furor  
 Sparsit minaces impii Martis faces.  
 Te propter armat natus in iugulum patris  
 Manus scelestas, genitor in natum irruit,  
 Generque socerum, civis et civem opprimit; 2080  
 Propinquitatis iura violantur; fides,  
 Quae colligarat, dividit fratres, domos  
 Furore belli miscet et caede inquinat.  
 Non huius oris rictus infandos vomit –  
 Tetrum – furores? non mihi insultat minax 2085  
 Saltusque frendens in meum librat caput?  
 Motu – quid hoc est? – resilit, exertos fremens  
 Dentes resolvit, destinat morsus truces  
 Odiaque dirus rursus in vivos gerit  
 Truculenta. fodite gutturis coecam specum. 2090  
 Theodore, praeceps proripe a nostris caput  
 Oculis nefandum! Caesarem hoc spectaculo  
 Fors insequentem refice, ne celeret gradus.  
 Victoriam uno, quam sequebatur ferox,  
 Contulimus ictu. Caesar hoc ex te audiat 2095  
 Per nos labores Martis exactos; fera

Exhausta tandem bella, quae in longos nimis  
Traxisset annos, caede Pompeii sciat.

Mihi Caesar uni iure devinctus potest  
Esse, remorata quod mea est virtus fugam  
Et nescientem solus oppressi ducem. 2100

### <Scena octava>

Caesar, M. Antonius

<Caes.> Invitus arma Caesar in cives tuli  
Strinxique; nulla gaudium peperit virum  
Effusa strages, pectus hoc gemitum dedit,  
Et ora tristem – testis, Antoni, es – mea 2105  
Misere vocem, quando collectos fuga  
Servavi et illis, quae fuit, vitam dedi.

Peracerbus ad nos ocyus celeri Noto  
Delatus hodie nuntius fatum asperum  
Hausisse, qui me morte divexat gener. 2110  
Vtinam superstes esse me socero gener  
Posset nec huius stagna Cocyti nigra  
Obiret errans animus, at iuncta fide  
Componeremus bella, quae tulimus duo!

Ant. Quod ad antra Magnus Stygia descendens eat 2115  
Pompeius, ultra lucidum ignoret diem,  
Tu conquerare, Caesar? atque atro obsitus  
Pallore vultus signa tristitiae efferat?

Caes. Non fictus animum, Marce, confecit dolor. 2120  
Egone genero laeter extortum caput?

### <Scena nona>

Caesar, Theodorus, M. Antonius, Cn. Domitius

<Theod.> Salve, imperator, fata victorem creant;  
Conversa in hostem tela ponantur; tibi  
Deperiit hostis, cecidit imperii aemulus;  
Nullus pericli terror; en dirum caput.

- Caes. Verene caesum est ense Pompeii caput? 2125
- Theod. Quod te beatum sospitet, quod te tuo  
Rex liberarit hoste Pompeio, gemas?  
Variet colorem vultus et luctus gravet  
Evisceretque pectus insanus dolor?
- Caes. Scelerate, qua te voce discernam? quibus, 2130  
Quae digna te sunt, dire, supplicii necem?  
Mene expetisse sanguinem et caedem impiam  
Spirasse generi sentias? me tam ferum  
Habitum? imperasse colla resecari? improbum  
Facinus patrari? me! cruentatum horrida 2135  
Nece gloriari? quo recesserunt dii  
Aut quem polorum segne torpentes locum  
Conquisierunt? quis gravis vinxit sopor?  
Desipio! vana ludit effigies, nova  
Commenta lusos fascinant visus. age, 2140  
Supponis aliud fraude composita caput.  
Da, da tuendum, quodque inobscurat, nigrum  
Velamen aufer capitis! ah! cohibe impiam,  
Scelere, paulum dexteram! intremui metu;  
Accedam et ipsum tegmen evolvam. o dii, 2145  
Portenta quae? quae monstra? quod crimen novum  
Concussus oculis haurio? o nunquam satis  
Miserande princeps! quis tibi intorto furens  
Mucrone iugulum secuit et vitam extudit?  
Quaecunque sedes dira Plutonis fovet 2150  
Tormenta et alto Tartaro indictas nigra  
Poenas coercent regna, malesuadus ferat  
Furor impotentis regis accrescens iecur  
Depascat ales avidus et morsu exsecet.  
Quas ipse lacrymas spargo? simulatas mihi 2155  
Infensa et istos, ora qui fletus cavant,  
Dicet coactos Roma. mentitum feret  
Vultum induisse me, meo tacitos feret  
Pressisse risus corde. sed merito caput  
Honore primum fax sepulchralis cremet. 2160
- Dom. O summe Caesar, ecquid ad vitam iuvat  
Consumptus omnis, quo natant oculi, liquor?  
Deinde nulla Styx in aeternum prece  
Inferna flecti poterit; ad superas via  
Obstruitur auras; amnis obiectus vetat 2165  
Remeare, liber exitus nulli patet.
- Ant. Quid quod in his non stat lacrymis victoria, Caesar,  
Plena, nec erepta est vis nec tenuata facultas  
Hostibus extincto duce, sed novus ingruit error?



	Quod si disiectos furibundo Marte maniplos Hostilesque armis exutas esse cohortes, Caesar, et impositis victurum legibus orbem Credideris, quonam sapientia pectore cessit? Armorum cupidas gentes populosque requirunt Intactos victi seque ad nova bella retorquent Contusasque acuunt vires, ea cura fugaces Sollicitat; furor extremus metuendus in hoste est.	2170     2175
	Quam vereor, ne, si Aegyptus, quod flebile carmen Contexis turpesque cadunt in pectora fletus, Audierit, tibi cum caput obtulit illa videndum, Conversis studiis tecum indignata laborum Non ire in partem velit aut socia arma sequutam Maereat atque alio potius sua signa reportet.	2180
	Quare age, mitte graves luctus, lacrymasque ciere Turpe sit, et ruptum belli citus instrue cursum.	2185
Caes.	O Marce Antoni, belli hanc de pectore curam Mitte, nec explendos Martis putet usque furores Vis tua. Pompeii qui stillat ab ore profusus Sanguis ab insano revocat retrahitque tumultu.	
	Aspice, ut exertis oculis me plura parantem Praelia dissuadens tacito sermone retundat Atque adeo quos luxus opum, quos gloria sontes Exagitat stimulis taedisque ardentibus urit, Increpitet viduetque latus mucrone sinistrum.	2190
	'Parce', inquit, 'patriae, Caesar, Romamque superbum Regnantum nomen metuentem et dira potentis Iussa execrantem imperii, quo, Caesar, in altum Sublatus meritos divum venaris honores, Solve metu. tibi plena tument praecordia fastu.	2195
	Quin privatus agis plebisque inhonorus amictu Ingentes animos deponis et usta calenti Laudis amore satur restinguis pectora, Caesar? Cernis, ut ipse dati metas pervenit ad aevi Pompeius scelere infando iugulatus, iniquo Praeda datus regi? neque enim licet inde reverti Sedibus e Stygiis tristisque erumpere luco.	2200    2205
	Instat adestque dies, quo te quoque Roma videbit Funere consimili proiectum corpore toto In terram, cum te infesti circum undique diros Nudabunt enses. sua tempora signat Erynnis, Quae, cum fata volent, non evitaveris unquam.' Sed quid ago? cur non persolvo iusta caputque Aggestis circum flammis, cum thurea prostent Dona, cremo? Antoni, versis exercitus armis Advolet, exequias duce me comitetur acerbas.	2210    2215

Pompei, me tua mors monet, ut variabile sortis  
Numen et humanae fastigia lubrica laudis  
Horrescam pavitans. haec me documenta tumentem  
Inflatumque docent non atra lacessere fata.

Pompei, quae possum genero tibi dona refundam: 2220  
Da, da, quae crasso tibi vivent tincta cruore  
Lumina detergam; lacrymis humentibus ora,  
Da, foedata lavem; da, da, sordentia tabo  
Tempora quae tristes defigimus oscula purgent.

Quid retices, Pompei? vox interclusa dolore 2225  
Plura vetat fari; fletus consumpsimus omnes.  
Hinc abeo lacrymans summoque irascor Olympo,  
Quod quae te, Pompei, scelerata peremerit ausu  
Indigno Aegyptus non eluvione dehiscat  
Nec peritura petat manes vesana profundos. 2230

Parce mihi, Pompei! fatalia ad arma coegit  
Me violatus honos spretique iniuria iuris,  
Immeritum quo me spoliarat turba Quiritum.  
Parce! sed heu! Pompei, te deinde sequemur, inanes  
Fors simili fato perituri augebimus umbras. 2235

FINIS

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von Petrus Mussonius von 1621 ('*Tragoediae seu Diversarum gentium et imperiorum magni principes dati in theatrum Collegii Regii Henrici Magni*'), zum Vergleich wurde die moderne Edition von Rudolf Rieks herangezogen (Petrus Mussonius: *Tragoediae*. Die lateinischen Tragödien von Pierre Mousson S. J. Eingeleitet und herausgegeben von R. Rieks unter Mitarbeit von K. Geus, Frankfurt am Main u. a. 2000 [Classica et Neolatina 2]).

Eine umfassende Behandlung der Tragödie ist 2013 im Verlag Walter de Gruyter erschienen: Bernhard Paul, *Petrus Mussonius, 'Pompeius Magnus' – eine neulateinische Tragödie*. Text, Übersetzung und Interpretation, Berlin/Boston 2013 (BzA 325).

Zu Abweichungen vom ursprünglichen Druck vgl. dort S. 218–228.